FRIDERICO MARX
OTTONI IMMISCH
SACRUM.

QUAESTIONES TERENTIANAE.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO

PHILOSOPHORUM ORDINE LIPSIENSI

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

WALTHER MEYER

LIPSIENSIS.

LIPSIAE

TYPIS E. FRETERI

MCMII.

FRIDERICO MARX

OTTONI IMMISCH

SACRUM.

A. Ex prologis Terentianis quid de ordine fabularum chronologico discamus.

Multae sunt difficultates in prologis et Plautinis et Terentianis tractandis; sed aliae in Plautinis, aliae in Terentianis, id quod diversis utrorumque prologorum generibus satis explicatur. Plautus enim in prologis nomen et poetae et fabulae pronuntiat aut argumentum fabulae enarrat aut de rebus scaenicis verba facit precibusque silentium a spectatoribus expetit. Praeterea hic illic nugae immiscentur, quibus spectatores delectentur hilaritateque perfundantur.

Prorsus aliter se habent Terenti prologi: neque enim Terentius aut argumentum fabulae enarrat[1]) aut suum nomen profert; contra ubique de se ipse suisque rebus loquitur; namque et ab iniquorum criminationibus se defendit et adversarios ipse aggreditur; denique item atque Plautus silentium ex populo expetit.

Vel inde apparet difficultates prologorum Plautinorum prorsus alias esse atque Terentianorum. Prologi enim Plautini quo sunt argumento, in fabulis iterandis aut toti aut magna ex parte adhiberi potuerunt, id quod re vera factum esse multis ex locis, qui in prologis quales nunc habemus, leguntur, manifestum est.[2]) Quamobrem aut sintne omnino prologi Plautini genuini, quaeritur aut quid in singulis prologis a Plauto ipso scriptum sit quidque histriones, ut prologos nova quasi forma ornarent, in fabulis iterum adendis de suo addiderint. Contra Terentianos prologos omnes ad unum genuinos esse vel inde apparet, quod Terentius de se suisque ipse rebus, de suorum adversariorum criminibus et vitiis aut per prologum aut etiam per dominum gregis verba

---

[1]) Andronicus in Duebneri scholl. in Aristoph. p. XXII: „*Πλαῦτος περιοχὴν ποιεῖ τῆς αὐτοῦ κωμῳδίας, Τερέντιος δ᾽ οὔ.*“

[2]) Moneo, ut exemplo utar, de Casinae Plautinae prologo et de eis prologorum locis, quibus de sedibus spectatorum verba fiunt. (cf. Fr. Ritschelium in Parergon Plautinorum Terentianorumque vol. I (Lips. 1845) p. 180 sqq. et p. 209 sqq.

facit.[3]) Deinde cum eius prologi ad unam actionem scripti postea usurpari omnino non potuerint, ne id quidem excogitari potest histriones eos interpolavisse. Tum minime verisimile est grammaticos posteriores hos prologos mutavisse neque putandum est prologos, cum Terenti fabulae in schola perlegerentur, labes interpolationesque perpessos esse.[4]) Denique iam Donato prologos, quales nunc habemus, praesto fuisse ex eius commentario ad Terenti fabulas composito discimus.[5])

Haec omnia cum animis complexi erimus, verisimillimum esse statuemus prologos Terentianos, cum omnino tempora tulerint, optime servatos esse.

Quae cum ita sint, minime est censendum singulos diversorum prologorum versus ita inter se permixtos confusosque esse, ut Herrmanowski[6]) voluit, qui Heautontimorumeni prologum suo arbitratu discerpens et versus quosdam eicit et versus ex aliis prologis petitos in hunc prologum inserit.

Neque magis est probabile duos eiusdem fabulae prologos in unum prologum a grammaticis posterioribus vel ab editoribus conflatos esse, id quod Karstenus[7]) nuper statuit. Quae sententia

---

[3]) Guyetus, qui et utrumque Hecyrae prologum et Heautontimorumeni prologum suppositicium esse putat, nimis futilibus argumentis nititur (cf. Fabia: les prologues de Térence. Paris 1888 p. 7 et 304 sq.); Schindleri autem sententia (‚observationes criticae et historicae in Terentium' diss. inaug. Halensis 1881), qui utrumque Hecyrae prologum ab Ambivio conscriptum esse vult quemque Havet (‚revue de philol.' X [1886] p. 13 sq.) et Hauler (Ephem. gymn. Austriac. 1885 p. 910) secuti sunt (antea ita iam Wilmanns iudicarat in diss. inaug. „De didascaliis Terentianis [Berolini 1864]" thesi quarta), eo quod Adelphos anno 160 a. Chr. n. primum actam esse nunc constat, refutatur. neque Hecyrae prologus alter quia rariora paulo vocabula in eo insunt, idcirco spurius putandus est.

[4]) cf. E. Hauler in Phormionis ed. tertiae (Lips. 1898) appendice critica p. 193 (ad. v. 33).

[5]) Unus tantum versus exstat, ex quo posteriores Donato grammaticos in prologis Terenti tractandis versatos esse elucet; traditur enim in Phorm. prologo post versum 11 in codicibus CEFGP hic versus: „Et magis placerent quas fecisset fabulas", qui fere idem in Andriae prologo (v. 3) legitur. Sed primum hic versus a Phormionis prologo prorsus abhorret; deinde in optimis codicibus A (BD) omnino deest. denique ne Donatus quidem hoc loco eum legit. Ex quibus elucet versum in Phormionis prologo — fortasse per errorem librarii — interpolatum esse.

[6]) Quaestiones Terentianae. diss. inaug. Halensis 1892 p. 1 sqq.

[7]) Mnemos. vol. XXII (1894) p. 175 ad 222. — Ea quae vir doctus de singulis versibus exponit, maxime dubia esse, quod ad Phormionis prologum attinet, ostendit E. Hauler in Phorm. ed. p. 193 (ad. v. 33). — Similiter atque Karstenus antea iam Roetterus: de Heautontimorumeno Terentiana. Gymnasial-Programm von Bayreuth 1892 p. 20 sqq. cf. O. Ribbeck quoque in hist. litterarum Rom. [2]I. (1894) p. 159.

omni argumento caret; primum enim illud est animadvertendum: habemus duos Hecyrae prologos, qui in codice Bembino etsi nullo spatio intermisso exarati sunt, tamen minime inter se confusi et commixti sunt. Quibus ex prologis curnam illi grammatici unum non fecerint, non intellegitur. Deinde quem tandem hoc fecisse putamus? Neque enim per errorem librarii cuiusdam fieri potuisse vel inde apparet, quod ex sententia Karsteniana singuli duorum prologorum versus inter se confusi atque perturbati sunt. Restat igitur, ut aliquem[8]) hos versus solam ob eam causam inter se commiscuisse putemus, ne duos prologos olim fuisse quisquam cognosceret. Quod si accipimus, hoc non intellegitur, curnam non illos etiam versus, ex quibus duos antiquitus prologos fuisse manifestum esse Karstenus censet, ille grammaticus vel editor tam mendax atque argutus omiserit.

Quin ne id quidem verisimile est singulos alicuius prologi versus inter se confusos esse, id quod in Heautontimorumeni prologo factum esse Dziatzko[9]) iudicat; quo in prologo non modo tres versus expunxit traiecitque in priorem Hecyrae prologum, sed etiam ceterorum versuum ordinem valde transmutavit.

Hae coniecturae omnes ut omni verisimilitudine omnique argumento carent, ita funditus refutantur eis, quae cum Fabia (l. s. s. p. 295 sqq.) tum maxime Leo[10]) de arte rhetorica in prologis Terentianis adhibita exposuerunt. Sunt certe loci in prologis, qui, tales si coniecturas acceperimus, haud scio an facilius intellegi possint; neque vero intellegitur, quonam argumento idoneo eam, qua usi sunt, rationem viri docti fulciant aut ad verisimilitudinem perducant. Tali modo locorum difficultas non explicatur, sed per vim tollitur. Hos autem locos, quibus quo facilius perciperentur, viri docti commoti ad illas sententias parum probabiles accesserunt, aliter explicari posse iam Leo (l. s. s.) ex parte demonstravit.

Id igitur tenendum est prologos Terentianos, ut omnino, ita optime memoriae traditos esse. His praemissis transeamus ad eam rem, quam hoc capite tractare nobis propositum est. Quo in capite quaeremus ex prologis Terentianis quid disci possit de ordine fabularum chronologico. Hanc quaestionem iam

---

[8]) Cogitat vir doctus (l. s. s. p. 200) de primis fabularum editoribus.

[9]) In diss. inaug. „de prologis Plautinis et Terentianis quaestiones selectae“. Bonnae 1863 p. 5 sqq. et in edit. Tauchnitziana (1884) praef. p. XXII sq.

[10]) Analecta Plautina: de figuris sermonis II. (libell. universitatis Gottingensis. 1898 p. 15—28).

alii viri docti[11]) solvere studuerunt, sed cum aut nimium aut parum ex prologis effecisse mihi videantur, hac de re denuo acturus sum. Sed antequam ad eam rem venio, quae est propria nostrae quaestionis, e re esse mihi videtur inquirere:

Sintne singuli prologi Terentiani omnino ad primam fabulae actionem scripti an ad aliam.

1. Fabulam novam esse poeta plane dicit in Phorm. prologo (v. 24: ‚adporto novam'), in Adelph. prologo (v. 12: ‚Eam nos acturi sumus novam'; et quoque vv. 4 sqq.), in Heaut. prologo[12]) (v. 7: ‚novam esse ostendi').[13])

2. Deinde pro certissimo habendum est Eunuchi prologum primam huius fabulae actionem antecessisse. Legas enim velim versus 19 sqq.: „quam nunc acturi sumus,

Menandri Eunuchum, postquam aediles emerunt,
Perfecit (scil. poeta vetus), sibi ut inspiciundi esset copia".

quibus ex verbis apparet Luscium fabulam antea omnino non novisse, Eunuchum igitur nondum actam esse. Idem confirmatur eiusdem prologi v. 45: „ut pernoscatis, quid sibi Eunuchus velit".

3. Tum dubium non est, quin Hecyrae prologorum prior ad secundam, posterior ad tertiam huius fabulae actionem pertineat.

---

[11]) Paeckelmann: ‚De ordine Terenti fabularum potissimum prologis adhibitis'. Diss. inaug. Halensis 1875. — Fabia l. s. s. p. 45 sqq. — Herrmanowski l. s. s. p. 30–40. — cf. O. Ribbeck l. s. s. p. 159.

[12]) Praeterea multis aliis Heaut. prologi locis satis demonstratur prologum ad primam fabulae actionem referendum esse; sicuti a) vv. 33/4 „quom dabit alias novas" (scilicet: ‚ut nunc hanc novam fabulam'); quo cum loco compares Hecyrae prologi II v. 48 „ut mihi discere Novas expediat", unde apparet fabulam, quam Ambivius nunc acturus est, iam actam fuisse, ita ut vel ob eam rem et hi versus in Heaut. prologo et Heaut. prologi versus 33 et 34 in Hecyrae prologo altero poni vetentur, id quod Herrmanowski l. s. s. p. 16 sqq. proposuit. b) v. 46: „in hac est pura oratio"; loquitur autem Ambivius de fabulis novis (cf. v. 43 sq.); praeterea haec verba, si fabula antea acta esset, superflua essent.

[13]) Terentium versu 4 „ex integra Graeca integram comoediam" ostendisse fabulam novam esse vidit Skutschius (in Philologi vol. LIX [1900] p. 1 sqq.), cui in hoc versu interpretando maxime assentior. cf. quae de fabula nova Roehricht p. 4 („quaestiones scaenicae ex prologis Terent. petitae", quae dissert. inaug. inest in ‚Dissert. philol. Argentor.' vol. IX [1885] p. 293 sqq.) exposuit, qui egregie dicit novam non appellari comoediam nisi quae ex Graeca fabula a nullo antea comico Latino conversa sit expressa (h. e. hoc loco: „ex integra Graeca") eademque primum apud spectatores data (h. e. „integram comoediam"). Non prorsus recte Flaminius Nencini („De Terentio eiusque fontibus" Liburni 1891) p. 64 sq. — Perperam nonnulli viri docti putaverunt hoc versu dici fabulam non contaminatam esse, sicut Dziatzko in dissert. inaug. p. 8, Karstenus l. s. s. p. 196, Wagnerus in Terenti fabularum edit. (Cambridge 1869).

4. Relinquitur solus Andriae prologus, de quo, cum sitne fabula nova an vetus, poeta in prologo non perspicue dicat, nihil certi constat. Aliis igitur huius prologi locis nitendum est. Sed hanc rem tum demum diiudicabimus, cum in universum quid ex prologis de ordine fabularum chronologico appareat, intellexerimus.

Haec quoniam cognovimus, elucet:

I. quod de Eunuchi, Phormionis, Heautontimorumeni, Adelphon prologorum tempore lucrabimur, idem ad primas harum fabularum actiones referendum esse.

II. quod de Hecyrae utroque prologo statuemus, idem ad huius fabulae actionem secundam et tertiam spectare.

III. quod de Andriae prologi tempore comperiemus, idem pertinere ad huius fabulae aliquam actionem, quae utrum prima sit necne, nescimus.

Nunc ipsam ad rem accedamus. Atque primum quidem, quid ex singulis prologis discamus, deinde quid ex prologis inter se comparatis appareat, videamus.

Caput I: **Ex singulis prologis quid discamus.**

1. In **Andriae** prologo legimus haec verba (v. 1 sqq.):

„Poeta quom primum animum ad scribendum adpulit,
Id sibi negoti credidit solum dari,
Populo ut placerent quas fecisset fabulas.
Verum aliter evenire multo intellegit;
v. 5. Nam in prologis scribundis operam abutitur,
Non qui argumentum narret, sed qui malivoli
Veteris poetae maledictis respondeat".

Poeta incipit, ut videmus, dicens se simulatque animum ad scribendum adpulerit h. e. cum de fabulis scribendis primum cogitaverit vel, ut Drakenborchii[14]) verbis utar, cum consilium scribere ceperit vel scribere inceperit, credidisse sibi id solum spectandum esse, ut fabulae, quas fecisset,[15]) populo quam maxime placerent. Verum se intellegere — non „intellexisse"[16]) — pro-

---

[14]) ‚Dictata ad Terenti Comoedias' edita a Grauerto in Analectis histor. et philol. I. Monasterii 1833 p. 9 sqq. — Idem dicit Th. Benfeius (cf. Wagner in libro miscellaneo edito a societate philologica Bonnensi 1864 p. 76).

[15]) ‚fecisset' hoc loco positum est pro coniunctivo futuri exacti, quia in verbis „id sibi negoti solum dari, ut fabulae placerent" notio futuri temporis quaedam inest. — cf. Paeckelmann l. s. s. p. 11.

[16]) „evenisse intellegit" vel „intellexit" Terentius dicere debuit, si

logum quoque scribere opus esse, non ut argumentum fabulae narret, sed ut adversariorum criminationes refutet.

Terentius igitur solas fabulas prologis non praemissis scribere sibi proposuerat. Nunc tamen cogitur etiam prologos scribere, quibus veteris poetae maledictis respondeat. Inde autem quod poeta perspicuis verbis dicit se intellegere etiam prologos sibi scribendos esse, efficitur, ut poeta nullum omnino prologum usque ad illud tempus composuerit, ut igitur Andriae prologus primus omnino omnium prologorum Terentianorum sit; neque enim fieri potest, ut poeta postquam complures antea prologos composuit, ea verba dicat quae dixit in Andriae prologi vv. 1—7.[17])

Dixerit quis ex versu 6 id solum apparere Terentium tales prologos usque ad illud tempus non composuisse, quibus veteris poetae maledictis responderet, eum vero antea prologos, quibus argumentum enarraret, scribere potuisse; ne hac quidem sententia quicquam mutatur. Cum enim omnes quos habemus, prologi Terentiani argumenti narrationem non contineant, sed poetae et excusationes et criminationes, sequitur, ut hic Andriae prologus, cuius in initio se argumentum non narraturum, sed iniquorum crimina reiecturum esse plane dicit, ante omnes eos, quos habemus, prologos scriptus sit. Porro cum in omnium fabularum prima scaena, quae ad fabulam percipiendam opus sint (h. e. argumentum) narrentur[18]) unde eiusmodi prologum has fabulas antecedere neque debuisse neque potuisse apparet cumque omnes Terenti fabulas servatas esse sciamus, sequitur, ut Terentius eiusmodi prologos omnino non scripserit: Hac quoque ex re manifestum est Andriae prologum primum omnino omnium Terenti prologorum fuisse.

2. Ex **Heautontimorumeni** prologo duas res discimus: Unam hanc: ex versibus 22 sq.:

„Tum quod malivolus vetus poeta dictitat,
Repente ad studium hunc se adplicasse musicum“,

apparet Terentium non multo ante in scaenam prodisse, prologum igitur in poetae primis prologis esse.

Karstenum (l. s. s. p. 219) sequimur; cf. Donati quoque verba ad hunc locum: „verum aliter evenire multo intellegit) Adeo nec praeparaverat nec intenderat quemquam laedere, ut spe falsus lacessitusque hoc faciat.“

[17]) Paene idem Dziatzko (in diss. inaug. p. 2 n. 1) de huius prologi versu 8 „nunc quam rem vitio dent, quaeso animum attendite“ dicit: „hunc versum ita proferri quasi poeta certe nondum operam abusus sit, qui veteris poetae maledictis responderet“; ex versu 8 tamen hoc effici posse nego.

[18]) cf. Andr. vv. 48 sqq. — Heaut. vv. 92 sqq. — Eun. vv. 107 sqq. — Phorm. vv. 80 sqq. — Hec. vv. 114 sqq. — Adelph. I, 1, vv. 1 sqq.

Tum alteram: Heautontimorumenon primam fabulam non esse concludendum est cum ex voce ‚dictitat' (v. 22) tum maxime ex versibus 16—18:

„Nam quod rumores distulerunt malivoli,
Multas contaminasse Graecas, dum facit
Paucas Latinas" sq.

3. In **Eunuchi** prologo nulla exstant vestigia, quibus quo tempore haec fabula acta sit, accurate cognoscatur. Nonnulla autem, etsi ad tempus accurate definiendum minime idonea sunt, memoranda sunt:

I. Ex vv. 1—3, quibus sese in eorum numero, qui placere se studeant bonis quam plurimis et minime multos laedere, esse poeta dicat, apparere mihi videtur Terentium alias antea fabulas docuisse, Eunuchum igitur non primam fabulam esse.

II. Ex v. 4 sq.: „Tum si quis est, qui dictum in se inclementius
Existumavit esse, sic existumet" sq.

apparet Terentium alium antea prologum scripsisse, quo Luscium aggressus erat.[19])

III. Luscius antequam prima poetae novi adulescentisque fabula ageretur, id spectavisse minime putandus est, ut eam inspiceret (cf. v. 19 sqq.);[20]) quamobrem Eunuchus certe prima Terenti fabula non est.

4. Multo plura et certiora ex **Phormionis** prologo lucrabimur.

a) ex vv. 1—3: „Postquam poeta vetus poetam non potest
Retrahere a studio et transdere hominem in otium,
Maledictis deterrere ne scribat, parat"

elucet contentionem inter Luscium et Terentium aliquamdiu fuisse.

b) ex v. 4: „Qui ita dictitat, quas antehac fecit fabulas,
Tenui esse oratione et scriptura levi"

apparet Terentium complures fabulas antea docuisse.

c) quin etiam complures fabulas prologis praeditas antecessisse comperimus ex v. 13 sqq.:

---

[19]) Hac re commoti Herrmanowski (l. l. p. 37 n. 19) et Paeckelmannus (l. s. s. p. 43). Eunuchi prologum post Heautontimorumeni prologum posuerunt. Tamen in u littera nulla est fides. nam sescenties a librariis cum b confundi eam constat (cf. Gramm. Lat. VII p. 138 Keil). quamobrem hoc quoque loco „existumabit", quod spectet ad ea convicia, quae Terentius ipso in Eunuchi prologo dicturus sit, eodem fere iure legi potest. quin etiam haec lectio praeferenda esse mihi videtur, cum parum credibile sit Terentium spectatores de conviciis, quibus multo ante contra Luscium usus esset, monuisse. Quo probato illud „quia laesit prior" (v. 6) pertinet ad ea, quae in exercitatione scaenica, quae magistratibus Luscioque praesentibus facta erat, acciderant.

[20]) cf. infra p. 40 n. 93.

„Vetus si poeta non lacessisset prior,
Nullum invenire prologum posset novos,
Quem diceret, nisi haberet, cui male diceret“.

d) Denique versus 31--33:

„Ne simili utamur fortuna atque usi sumus
Quom per tumultum noster grex motus locost:
Quem actoris virtus nobis restituit locum“ sq.

argumento sunt ante Phormionem duas minimum actiones fabularum Terentianarum factas esse, quarum una exacta est, altera stetit.

5. Venimus ad **Adelphorum** prologum, quem ad primam omnium Terenti fabulam spectare non posse apparet ex v. 1 sq.:

„Postquam poeta sensit scripturam suam
Ab iniquis observari etc“.

Deinde eum complures antea fabulas docuisse concluseris ex v. 15 sq.: „Nam quod isti dicunt malivoli, homines nobilis
Eum adiutare adsidueque una scribere . . .“

6. **Hecyrae priore prologo** probatur
Hecyram antea agi coeptam esse (v. 1 sqq.),
alias quoque Terenti fabulas actas esse et placuisse (v. 8).

7. Denique **ex Hecyrae prologo altero** cognoscimus Hecyram bis antea exactam esse.

Conclusio: Ex singulis igitur prologis, ut omnia adhuc exposita comprehendamus, non multa ad verum prologorum et fabularum ordinem pertinentia lucrati sumus. Unum vero hoc summi est momenti: cognovimus Andriae prologum, quantum ex hoc solo iudicare possumus, omnium prologorum primum esse, qua re cognita initium prologorum seriei invenimus. Huc accedit aliud. Scimus enim primum Terentium bis calamitates accepisse (et cum Hecyra primum et cum iterum ageretur), deinde duos Terenti prologos, et Heautontimorumeni et Hecyrae prologum alterum, ab ipso domino gregis pronuntiatos esse. Haec cum ratione certe inter se cohaereant, summa cum verisimilitudine sequitur primum, ut Heautontimorumenos nulla alia Terenti fabula intermissa post Hecyrae primam actionem acta sit,[21]) deinde ut Hecyrae tertia actio secundam exceperit. At Terentius alterum Hecyrae prologum ob eam solam rem ipsi Ambivio pronuntiandum tradidit, quod eadem fabula antea — fortasse multo antea — bis exacta erat. Concedo; cum vero Hecyrae iterum exactae memoria in nullo Terenti prologo exstet, verisimillimum esse puto non modo Hecyrae tertiam actionem Hecyrae secundam actionem subsecutam esse, sed etiam hanc utramque actionem

---

[21]) Ita iam Herrmanowski l. s. s. p. 30. — Schindler l. s. s. p. 33.

Hecyrae post ceterarum fabularum actiones, ad quas prologi spectant, factam esse; quibus concessis finem quoque seriei habemus. Denique cum Phormionem post calamitatem quandam, quam successus excepit, actam esse viderimus, sequitur, ut Phormio certe post et Hecyrae et Heautontimorumeni primam actionem acta sit. Series igitur fabularum chronologica, quantum ex singulis prologis intellegi potest, haec est:

	I. Andria, cuius fabulae prologus primus omnium ceterorum est.	
	II. Hecyra (I) et Heautontimorumenos	quae fabulae continuum ordinem efficiunt.
Certe post Hecyram (I) et Heautontimorumenon actae sunt fabulae hae:	III. Phormio.	
	IV. Hecyrae secunda actio Hecyrae tertia actio	quae finem totius seriei efficere videntur.

De Eunuchi et Adelphorum tempore nihil certi constat: id solum pro verisimillimo habemus utramque fabulam ante Hecyrae secundam et tertiam actionem actam esse; praeterea certum est Adelphos fabulam post complures alias Terenti fabulas compositam esse. —

Nunc venio ad alteram quaestionem, qua quaerimus ex prologis inter se comparatis quid discamus.

Caput II: **Ex prologis inter se comparatis quid discamus.**

Etiam plura in hac quaestione proficiemus, si prologos inter se comparaverimus; ac ne quicquam omittamus, rem ita instituemus, ut primum eos prologorum locos, qui inter se simillimi sunt sive Terentius eandem adversariorum insimulationem refutat sive adversarios aggreditur, inter se comparemus, deinde hac ratione si omnes locos ad ordinem fabularum pertinentes accurate examinaverimus, ea quae lucrati erimus comprehendamus.

Ac primum quidem eos binorum prologorum locos examinemus, quibus ab eadem criminatione poeta se defendit.[22]

---

[22]) Prorsus reicienda est Schindleri sententia (l. s. s. p. 33), qui fieri potuisse negat, ut adversarii unum idemque diversis temporibus Terentio crimini darent, quam ob causam eas fabulas, quarum in prologis ab eodem Luscii probro se defendit, (sicut Andriam et Heautontimorumenon, Heautontimorumenon et Adelphos) eisdem fere temporibus actas esse putat; neque multo aliter Karstenus (l. s. s. p. 221) sententiam suam, qua Andriae prologum post Heautontimorumeni prologum compositum esse putat, eo fulcit, ut Andriae et Eunuchi prologos inter se simillimos esse ostendat.

§ 1. De adversariorum criminationibus.

I. De contaminatione.

Priusquam quid ex eis prologorum locis, quibus Terentius de contaminatione egit, de ordine fabularum appareat, examinemus, quaeramus, si placet, quae vis sit subiecta voci contaminationis. Distinguenda autem, opinor, sunt duo: et quid sit ‚contaminare' et quid significet ‚contaminare'; primum igitur de re ipsa (h. e. quid Terentius fecerit, quam ob rem iniqui ei contaminationem crimini dederunt), deinde de verbo contaminandi eiusque origine ac vi erit disputandum.

Primum igitur quid sit ‚contaminare', non difficile est diiudicare. Etenim quid fecerit, Terentius ipse spectatoribus in Andriae prologo (v. 9 sqq.) accurate exponit. Fatetur enim se ex Perinthia quae convenerint, in Andriam, fabulam eiusdem Menandri, transtulisse atque usum pro suis eoque magis, quod utraque fabula si minus eadem oratione ac stilo, attamen eodem argumento esset. Hoc autem adversarios valde vituperasse atque ‚contaminare' appellavisse Terentius addit. Inde efficitur, ut ‚contaminare' hoc loco idem sit atque „ex illis duabus fabulis Graecis unam Latinam facere".

Id vero unum quaeri potest, utrum fabulae Latinae contaminatione factae ex duabus tantum Graecis an etiam ex compluribus contextae sint. Altera Donati fuisse videtur sententia ad Andriae prologi versum 16 adnotantis haec: „contaminari non decere i. e. ex multis unam non decere facere". Tamen nulla habemus in prologis aut Plautinis aut Terentianis vestigia, quibus poetas complurium Graecarum fabularum partes quasdam in unam fabulam Latinam conflavisse demonstretur. Ubique de duabus tantum fabulis Graecis verba fiunt (cf. Adelph. prol. vv. 6 sqq. — Eun. prol. vv. 30 sqq. — Andr. prol. vv. 9 sqq.).[23]) Quamobrem Donatus utrum verum tradiderit necne, in medio relinquamus. Minime vero Nencinio (l. s. s. p. 1 sqq.) assentiendum est, qui hanc criminationem non ad solam oeconomiam, sed etiam ad sententias quasdam vel praecepta vel breves narratiunculas a quotquot libuit Graecis fabulis petitas pertinere censet.[24])

Deinde quid significet ‚contaminare', quaeritur. Verbum ‚contamino' a ‚contamine' idque a radice ‚tag' derivandum esse Grauertus[25])

---

[23]) Verbis quae in Heaut. prologo (v. 17) „multas contaminasse Graecas, dum facit paucas Latinas" leguntur, paene nihil probari infra accuratius disseram. (cf. p. 33—35).

[24]) Idem dicit Grauert l. s. s. p. 192. 205. — Contra cf. Ihne: quaestiones Terentianae (Diss. inaug. Bonnae 1843) p. 6 sqq.

[25]) l. s. s. p. 116 sqq.

luculenter demonstravit. Tamen etsi de verbi origine constat, de significatione valde dubitatur. Duas enim potissimum significationes statuerunt viri docti: aut ‚contaminare' significare simpliciter „diversa inter se coniungere atque consociare" (ita Grauert l. s. s.; Gesner[27]); Rummler[26]);) aut „polluere et vitiare" (Ruhnken[27]); Koenighoff[27]);).

Harum utraque significatio cum omnino non dubium sit quin in universum hoc in verbo insit, utram his prologorum locis, quibus ad fabulas refertur, verbum habeat, quo magis cognoscamus, hos ipsos locos inspiciamus necesse est, non ut fere omnes viri docti adhuc fecerunt[28]), alios. Bis autem occurrit hoc verbum in Terenti prologis: in Andr. prol. (v. 15 sq.):

„in eo disputant (scil. iniqui)
Contaminari non decere fabulas".

et in Heaut. prol. (v. 16 sqq.):

„rumores distulerunt malivoli
Multas contaminasse Graecas, dum facit
Paucas Latinas".

Utroque loco adversarios hoc verbo usos esse Terentius dicit[29]), neque usquam ipse hoc verbum de fabulis suis usurpat. Etenim etsi in Eunuchi et Adelphon prologis utramque fabulam ex binis Graecis commixtam esse fatetur, tamen verbum ‚contamino' ne adhibeat, scite cavet; legitur enim in Eunuchi prologo (v. 30 sqq.):

„Colax Menandrist: in east parasitus colax
Et miles gloriosus: eas se non negat
Personas transtulisse in Eunuchum suam
Ex Graeca;"

et in Adelphon prologo (v. 10): „Eum hic locum sumpsit sibi
In Adelphos".

Tamen Terentium hac in utraque fabula nihil aliud fecisse atque in Andria manifestum est h. e. id fecisse, quod iniqui ‚contaminare' appellaverant.

Eodem accedit, ut Terentius, quid ‚contaminare' sit, spectatoribus ipse in Andriae prologo accuratissime exponit, ex quo

---

26) In dissert. inaug. „Quaestiones Terentianae". Halis 1873 p. 3.

27) cf. Nencinium l. s. s.

28) Hac de re cf. Nencinium l. s. s. p. 2 n. 4. — Illos locos ex Terenti aliorumque scriptorum scriptis sumptos, quibus adhibitis alterutram significationem vocis ‚contaminare' fulciri viri docti putaverunt, inspicias apud Haulerum in Phorm. ed. praef. p. 19 n. 3.

29) Similiter iam Roehricht l. s. s. p. 16 (diss. philol. Argentor. IX p. 308).

efficitur, ut ne hi quidem, quid ‚fabulas contaminare' significet, usque ad illud tempus sciverint.

Ex his igitur haec didicimus:

I. Solos adversarios de Terenti ratione fabularum componendarum h. e. fabularum Graecarum in unam Latinam coniungendarum verbum contaminandi usurpavisse.

II. Contra Terentium ubique caute cavisse, ne illud verbum adhiberet.

III. Ne spectatores quidem, quid ‚fabulas contaminare' esset, scivisse.

Haec cum animis complexi erimus, haec inde effici non negabimus:

1. ut verbum ‚contaminare' a Terenti demum adversariis primum ad fabularum componendarum rationem relatum sit.

2. ut hoc verbum quod ne adhibeat, Terentius ipse cavet, non modo nihil laudis prae se tulerit, sed tamquam convicii loco fuerit.

Quae quoniam ita esse intelleximus, verba ‚fabulas contaminare' his locis nihil aliud significare possunt nisi „polluere et foedare".[80])

Idemque iam Donatus vidit ad eundem Andriae prologi versum (16) addens: „Proprie contaminare est manibus luto plenis aliquid adtingere. Et contaminare et adtingere est et polluere". Haec autem Donati verba ab eis, quae supra laudavi, minime discrepant, quod Grauert l. s. s. p. 121 putat. Illis enim verbis dicit, quid sit ‚contaminare' h. e. quid Terentius fecerit, quod adversarii convicio contaminandi affecerunt; his contra verbis exponit, quae vis in verbo contaminandi insit secundum etymologiam.[81])

Unum restat ut explicemus: quomodo, cum ‚contaminare' reprehensionis aliquid haberet, Terentium se id fecisse confessum esse cogitari possit. Duo autem sunt observanda:

I. Terentium ipsum plane dicere (Heaut. prol. v. 16 sqq.) id quod iniqui vituperaverint et illo convicio significaverint, se non pigere: qua re dilucide apparet Terentium cum id, quod illi reprehensione dignum esse putabant, peccatum esse omnino negaret, non habuisse, cur se illud fecisse negaret.

---

[80]) Contulit Fr. Marxius ‚contaminare' cum Graeco vocabulo *προπηλακίζειν*; praeterea attulit Hor. carm. III 2, 18: „Virtus, repulsae nescia sordidae, Intaminatis fulget honoribus". ad quem locum cf. A. Kiesslingi. ed. Hor. operum vol. I p. 235 (quarta ed. cur. R. Heinze. Berolini 1901).

[81]) cf. quoque Dziatzkonem in Adelph. edit. (Lipsiae 1881) praef. p. 7 n. 1 et Fabiam l. s. s. p. 177/79.

II. Terentium quod se fabulas ‚contaminavisse' fatetur, de sententia criminationis, non de convicio verbi ab iniquis usurpati cogitare potuisse certeque cogitavisse.[32])

Sed haec quidem hactenus. Transeamus, si placet, ad rem propositam. Vidimus ergo Terentium et in Andriae et in Heautontimorumeni prologo a crimine contaminationis se defendere. Horum locorum uter prior, uter posterior sit, inquiramus.

a) Primum in Andriae prologo, quid ipse fecerit, quidque adversarii hoc crimine affecerint, Terentius accurate exponit; ex quo perspicuum est spectatores hac de re ad illud tempus omnino nihil scivisse, Terentium igitur hanc criminationem usque ad id tempus non perpessum esse. Contra in Heautontimorumeni prologo poeta nihil dicit nisi haec: malivolos distulisse rumores se multas contaminasse Graecas, paucas vero fecisse Latinas. Hic igitur prologus cum pronuntiaretur, spectatores quid ‚contaminare fabulas' esset, sciverunt. Cum autem Terentius in nullo alio prologo de contaminatione verba faciat, sequitur, ut Andriae prologus, quippe in quo hoc crimen quid sibi velit, explicetur, Heautontimorumeni prologum antecesserit.[33])

b) Deinde in Andriae prologo solum id adversarios vituperasse poeta dicit, quod Andriam suam ex duabus fabulis Graecis effecerit. Contra in Heautontimorumeni prologo non de sola una fabula, sed in universum de omnibus Terenti fabulis ad id tempus factis sermo est. Hac quoque ex re verisimile est Andriae prologum ante Heautontimorumeni prologum scriptum esse.

c) Accedit illud quod in Andriae prologo solum id fatetur se quae convenerint, ex Menandri Perinthia in Andriam suam „transtulisse"; contra in Heautontimorumeni prologo dicere (v. 18):

„Id esse factum (h. e. ‚contaminari') hic non negat,
Neque se pigere et deinde facturum autumat".

d) Denique observandum est, quomodo Terentius in utroque prologo se defendat. Etenim in utroque prologo eodem argumento nititur, tamen diversa ratione utitur; in illo prologo eos poetas, ad quos, quia ipsi quoque fabulas suas eodem modo composuerint, provocat, nominatim appellat (v. 18 sq.):

„Qui quom hunc accusant, Naevium Plautum Ennium
Accusant, quos hic noster auctores habet",

in hoc prologo significatione appellat (v. 20 sq.):

„Habet bonorum exemplum, quo exemplo sibi
Licere id facere quod illi fecerunt putat".

His expositis dubium esse nequit, quin Andriae prologus ante

[32]) cf. infra p. 35.

[33]) cf. Herrmanowski l. s. s. p. 39.

Heautontimorumeni prologum scriptus sit, simul et sequitur, ut, cum inter Hecyrae et Heautontimorumeni primas actiones nullam omnino Terenti fabulam actam esse viderimus (cf. supra p. 12), Andriae prologus etiam ante primam Hecyrae actionem scriptus sit.

II. De auxilio amicorum.

Altera criminatio, qua usi adversarii Terentio maledixerunt, in eo posita erat, ut dicerent eum aliorum auxilio fretum atque usum fabulas suas composuisse. Hoc quoque crimen in duobus prologis a Terentio refutatur: in Heautontimorumeni et Adelphon prologis; horum uter utrum antecesserit, quaeritur. Unum autem antea cognovimus Terentium cum Heautontimorumenos ageretur, non multo ante in scaenam prodisse; legimus enim (v. 23 sq.): „Repente ad studium hunc se adplicasse musicum,
Amicum ingenio fretum“ sq.

Contra in Adelphon prologo haec adversariorum verba profert (v. 15 sq.): „homines nobilis
Eum adiutare adsidueque una scribere“ sq.

Ex his locis inter se comparatis luce clarius apparet Heautontimorumeni prologum aliquanto ante Adelphon prologum scriptum esse.[34])

Idem haud scio an ea re probetur, quod adversarii in illo prologo in universum de ‚amicum‘ auxilio verba faciunt, in hoc accuratius de ‚hominibus nobilibus‘, qui populo placent, quorum opera in bello, in otio, in negotio suo quisque tempore usust sine superbia.

Insuper observandum est, quomodo Terentius in utroque prologo idem crimen reiciat; atque in illo quidem prologo spectatores ipsos iudices huius controversiae facit dicens (v. 25):
„Arbitrium vostrum, vostra existumatio
Valebit“.

Contra in hoc prologo ipse iudicium facit (v. 17 sq.):
„Quod illi maledictum vehemens esse existumant,
Eam laudem hic ducit maxumam“.

Hoc etsi haud ita certum esse concedo,[35]) tamen verisimillimum esse temporis argumentum mihi videtur. Sed hac de re utut iudicatur, ex eis, quae antea dixi, satis demonstratur Heau-

---

[34]) Vides, quam perversa Schindleri sententia sit (l. s. s. p. 34. — cf. supra p. 13 n. 22), qui putat Adelphos paulo post Heautontimorumenon actam esse, quia mirum esset, si poeta isto probro ante Heautontimorumeni actionem a Luscio lacessitus trium annorum spatio intermisso [a. 594] in Adelphon actione iterum vexatus esset. cf. quoque Herrmanowski l. s. s. p. 37 sq.

[35]) Eiusmodi enim in re in rationem vocandum est, quo animi habitu ipso illo tempore poeta fuerit. cf. infra p. 23.

tontimorumeni prologum aliquanto ante Adelphon prologum compositum esse.

Nam quod aiunt[36]) ex eo, quod in illo prologo (v. 22) Terentius usus sit ‚dictitare‘, in hoc prologo (v. 15) ‚dicere‘, necessario effici hunc prologum ante illum scriptum esse, hoc admodum est futile argumentum. Etenim ex illo ‚dictitat‘ nihil aliud efficitur nisi, ut vetus poeta illud crimen compluriens dixerit, minime vero, ut Terentius hoc crimen antea iam refutaverit; neque igitur sequitur, ut hic prologus ante illum factus sit. Etenim etsi Terentius iam in Heautontimorumeni prologo huic crimini responderat, tamen fieri potuit, ut adversarii postea eandem rem denuo Terentio crimini tribuerent.

III. De furti crimine.

Inter crimina ab adversariis ad Terenti laudem imminuendam sparsa etiam illud erat, quod Terentium furtum commisisse dixerunt. Furtum autem quid sibi velit,[37]) apparet ex Eunuchi et Adelphon prologis, in quibus Terentius ab hoc crimine se purgat. In priore Luscius Terentio crimini dat, quod ex Naevi et Plauti Colace partes quasdam abstulisset, quam ob rem Terentium furem, non poetam esse dicit. Ex quo perspicuum est Luscio auctore poetae Latino non licuisse partes quasdam ex fabulis quae dicuntur palliatis sumere. Quae cum ipsae ex fabulis Graecis conversae, non poetarum Latinorum ingenio fictae essent, apparet poetae Latino non magis licuisse fabulam Graecam (vel eius partem) iam ab alio poeta comico Latino conversam denuo convertere inque scaenam deferre. Idemque probatur illo utroque prologo: in Eunuchi enim prologo Terentius se defendit ita, ut dicat (v. 30) se illas personas in Eunuchum suam ex ipsa Graeca (scil. Colace Menandri) transtulisse, non igitur ex Plauti et Naevi comoediis; addit autem se negare sese scisse has fabulas prius Latinas factas esse.

Et in Adelphon prologo dicit se unam scaenam ex Diphili Commorientibus fabula iam a Plauto usurpata sumpsisse neque vero se furtum fecisse, quia eum locum, quem ipse transtulerit, Plautus integrum reliquisset (h. e. non convertisset).

Deinde uter utrum prologus antecesserit, inquirendum est. Ex omnibus Eunuchi prologi versibus, quibus Terentius de furti crimine verba facit (v. 19 sqq.) apparet poetam hoc crimen mi-

[36]) Paeckelmann in dissert. inaug. p. 37 sqq.

[37]) Hac de re cf. Roehricht l. s. s. p. 7 sqq. (dissert. philol. Argentorat. IX. p. 299 sqq.). — E. Hauler in Phorm. ed. praef. p. 19. — Fabia l. s. s. p. 218/230 (imprimis p. 221 et 224 sqq.)

nime exspectavisse; unde explicatur Terentium nihil paene habere, quo prolato ab hoc crimine purgetur (cf. v. 27 et 33 sqq.); versibus autem, qui sequuntur (v. 33 sqq.), maxime cavillatur.

Contra in Adelphon prologo Terentius ne exspectat quidem, dum iniqui in se invehantur, sed de se ipse indicio est.[38]) Etenim hac in fabula gravissimis argumentis demonstrare potest se non furem esse. Curnam vero Terentium omnino commemoraturum fuisse censes se furtum non fecisse, nisi hoc ei iam crimini datum esset, nisi similem accusationem timuisset? Evidentissime igitur consequi iam Bosse[39]) statuit post Eunuchum Adelphos primum actam esse; quin etiam id verisimile esse mihi videtur Adelphos paulo post Eunuchum actam esse. Hoc si ita non esset, cur Terentius illud crimen furti hoc in prologo respexisset, non intellegeretur.[40])

Iam illud quidem perspicuum est ut contaminationis, ita furti crimen a Luscio demum fictum esse videri. Terentius enim eius verba in Eunuchi prologo (v. 23 sqq.) affert: Luscius

„Exclamat furem, non poetam fabulam
Dedisse et nil dedisse verborum tamen:
Colacem esse Naevi et Plauti, veterem fabulam;
Parasiti personam inde ablatam et militis.“[41])

quibus verbis Terentius respondet et in Eunuchi prologo (v. 27 sq.):

„Si id est peccatum, peccatum inprudentiast
Poetae, non quo furtum facere studuerit“

et in Adelphon prologo (vv. 12/13): „Pernoscite
Furtumne factum existumetis“ sq.

---

[38]) Fabia (l. s. s. p. 219.) putat adversarios furtum etiam ante Adelphon actionem Terentio crimini dedisse; hoc si ita est, illi hanc fabulam iam ante primam actionem cognovisse debebant, id quod vir doctus (p. 231 n. 1) profecto censet. Hanc sententiam antea iam Paeckelmannus (l. s. s. p. 14) protulit eamque defendunt A. Greifeld („De Andriae Ter. gemino exitu“ Halis Sax. 1886 p. 25) et nuperrime R. Kauer (Wiener Studien XXIII [1901] p. 89), qui adversarios Adelphos aut in exercitationibus quae propriam actionem antecedebant, aut simili modo atque Eunuchum cognovisse putat. Sed ex Eunuchi prologo minime elucet Luscio in universum licuisse eiusmodi exercitationibus interesse (cf. infra p. 46). Praeterea Terenti ipsius verbis „de se ipse indicio fore“ vetamur de adversariorum crimine cogitare. At hoc si ita est, curnam poeta omnino profitetur se ex Diphili fabula a Plauto iam adhibita aliquam scaenam in Adelphos suam intexuisse? quia timet, ne illi fabula acta furtum sibi obiciant aeque atque in Eunucho non multo ante acta (cf. infra p. 32). — cf. autem Karstenum l. l. p. 210.

[39]) Bosse: quaestiones Terentianae. Dissert. inaug. Lips. 1874 p. 16 sq.

[40]) cf. autem Schindleri (l. s. s. p. 34 sq.) ratiocinationem.

[41]) Ex omnibus, quae hoc de loco vexatissimo viri docti statuerunt, ad maximam verisimilitudinem accedere mihi videtur id quod Roehrichtius l. s. s. p. 26 (Diss. phil. Argent. IX p. 318) exposuit.

Terenti igitur adversarii malevoli soli reprehendebant, si quis poeta Latinus fabulam Graecam ab aliis iam conversam denuo convertebat aut partes quasdam ex aliorum fabulis palliatis sumebant. Hoc cum ita sit, Afranius omnino non habebat, cur se nonnulla quaedam non modo a Menandro, sed etiam a Latino sumpsisse negaret. Dicit enim in Compitalium prologo:[42])

„Fateor, sumpsi non ab illo (scil. Menandro) modo,
Sed ut quisque habuit, conveniret quod mihi,
Quod me non posse melius facere credidi,
Etiam a Latino“.[43])

IV. De oratione tenui et scriptura levi.

Denique Luscius Terentio crimini dedit, quod eius fabulae tenui essent oratione et scriptura levi. Hoc crimen quo spectet, Fabia (l. s. s. p. 252/261 et p. 287 sq.) recte exponit. Hac de insimulatione cum Terentius solo in Phormionis prologo dicat, fieri non potest, ut inde quicquam de ordine fabularum lucremur.

Conclusio: His ex prologorum locis, quibus Terentius ab adversariorum probris se defendit, quid de fabularum ordine pro certo habendum esse statuerimus, priusquam ad alios locos inter se conferendos transeamus, comprehendere e re erit. Statuimus autem primum Andriae actionem, ad quam prologus spectat, ante Hecyrae et Heautontimorumeni primas actiones factam esse; deinde Adelphos aliquanto post Heautontimorumenon actam esse, simul igitur post Andriam et Hecyram primum exactam; denique Adelphos paulo post Eunuchum actam esse.

His comparatis sequitur, ut Eunuchus inter Heautontimorumenon et Adelphos acta sit.

Nunc venio ad alios prologorum locos inter se comparandos, ex quibus de fabularum ordine chronologico aliquid certi aut concludi potest aut concludi posse viri docti putaverunt.

§ 2. De eis prologorum locis, quibus captatione, quae dicitur, benevolentiae Terentius utitur.

Omnium in prologorum exitu, ut sibi faveant et per silentium fabulam suam exaudiant, Terentius a spectatoribus petit.

---

[42]) Comicorum Roman. fragmenta tertiis curis recognovit O. Ribbeck (Lips. 1898) p. 198.

[43]) Hoc non modo ad singulas sententias spectare, sed ad totas scaenas apparet ex Afrani verbis „quod me non posse melius facere (non ‚dicere‘) credidi“. Aliter Roehricht p. 17 n. 1 (Diss. Argent. IX p. 309 n. 1).

Hanc partem prologorum Terentianorum, quos succinctas et oratorias et ex arte compositas atque controversiis etiam iudicialibus similes orationes esse Leo (l. s. s. p. 15) egregie ostendit, respondere ei orationum iudicialium parti, quae dicitur ‚peroratio' vel ‚epilogus', iamdudum viri docti cognoverunt.[44]) Quae cum ita sint, ut ‚in orationum iudicialium, ita in prologorum perorationibus certae quaedam formulae in usum venerunt, veluti, ut ex Terenti prologis exempla petamus:

1. ‚Adeste aequo animo' in Andriae prol. v. 24; Heaut. prol. v. 35; Phorm. prol. v. 30; non multo aliter „Facite aequi sitis" (Heaut. prol. v. 28) et „Facite aequanimitas
Poetae ad scribendum augeat industriam".
(Adelph. prol. vv. 24/25).[45])

2. Deinde saepius occurrit „date operam" in prologis Eun. v. 44; Phorm. v. 30; similiter „date crescendi copiam" (in Heaut. prol. v. 28) et „date potestatem" (Heaut. prol. v. 35).[46])

3. Eodem modo in omnibus prologis silentium petit, in Heaut. prol. v. 35: ‚date potestatem mihi
Statariam agere ut liceat per silentium'.
Eun. v. 44: „Date operam, cum silentio animum attendite".
Phorm. v. 30: „Date operam, adeste aequo animo per silentium".
Hec. prol. II, 47: „Mea causa causam accipite et date silentium".[47])

Vel ob eam rem, quod talibus in locis poetam certas quasdam formulas usitatas usurpavisse vidimus, hos locos nimis premere vetamur. Tamen etiam ex his locis aliquid certi de fabularum ordine enucleare nonnulli viri docti voluerunt. Exempli causa Roehrichti verba adferam, qui ita scribit (l. s. s. p. 47 = dissert. phil. Argentor. IX p. 339): „Pedetemptim Terentium populi favorem sibi conciliasse ipsae prologorum clausulae innuunt. Modestis enim atque demissis verbis poeta ignotus utitur in priorum fabularum prologis, in posteriorum confidentius atque audacius et in adversarios invehitur et se suumque studium spectatoribus commendat; conferas cum Andriae versibus 24/27 et Heautontimorumeni versibus 28/29 verba quae in posterioribus fabulis legis: Eun. v. 44/45 et Phorm. v. 30".[48])

---

[44]) cf. Fabiam l. s. s. p. 295 sqq. et Leonem l. s. s. p. 16 sqq.

[45]) Poen. 123 „vos aequo animo noscite".

[46]) cf. Plauti Asin. v. 14. — Capt. v. 54. — Cistell. v. 154. — cf. Hauler ad Phorm. prol. v. 30, qui Mil. v. 98. — Poen. v. 58. — Cas. v. 22 affert.

[47]) In Trinummi prol. v. 22: „Valete: adeste cum silentio".

[48]) Fere idem dicunt W. Wilmanns: de didascaliis Terentianis. Diss. inaug. Berol. 1864 p. 50 sq. — Paeckelmann l. s. s. p. 29/31. — Hauler ad Phorm. prol. v. 33. — Quin Umpfenbach (Analecta Terentiana. Gym-

Sed de eiusmodi ratiocinationibus semper dubitandum esse equidem puto. Observanda enim sunt haec:

I. Terentium aliquem prologum scripsisse non eius, qui antecessit, prologi memorem, sed plane aliarum rerum respectu habito per se apparet.[49] Nonne verisimile est poetam populum ut sibi faveret, aliter oravisse, cum modo calamitatem acceperat, aliter post successum; aliter si cladem, aliter si plausum adversarii paulo ante acceperant? Nonne denique ex eo, quod Terentius ipse in Andriae prologo dicit se prologos solam ob eam causam scripturum esse, quibus veteris poetae maledictis respondeat, apparet etiam ea, de quibus adversarii poetam paulo ante accusaverant, apud Terentium multum valuisse? Permultis igitur rebus atque iis variis, de quibus magna ex parte nunc omnino nihil constat, commotus Terentius ipsa ea verba, quae in singulis prologis legimus, scribere potuit.

II. Deinde ex eo quod Terentius sex tantum fabulas composuit atque per sex tantum annos in arte scaenica se locavit, perspicuum est eum ne post victoriam quidem modo reportatam utrum fortuna scaenica semper futuris temporibus sibi fautura esset necne, pro certissimo habere potuisse. Hoc praeclare demonstratur duabus Hecyrae calamitatibus; etenim Andria etsi placuerat, tamen Hecyra, secunda fabula, cum primum ageretur, exacta est; quin etiam etsi cum Heautontimorumenos et Phormio, tum maximo cum successu Eunuchus steterant, tamen Terentio iterum evenit, ut Hecyra cum referretur, neque spectaretur neque probaretur.

III. Cum igitur fortunam scaenicam esse dubiam imprimis poetae novo adulescentuloque et ipse comperisset, cumque fabularum successum penes spectatores esse non ignoraret, id spectare poeta potuit, ut populum quam maxime adularetur. Etenim semper praestat poetam spectatores comitate usum sibi conciliare studere quam sua ipsius merita laudibus efferentem illos laedere. Hac ratione Terentium quoque usum esse cogitari potest. Quomodo tandem, hanc rationem si Terentius adhibuit, ex eiusmodi locis quicquam certi de ordine prologorum et fabularum enucleari possit, equidem nescio.

IV. Denique id memorandum est, ex quo, opinor, vel ceteris rebus neglectis viri docti se ex his locis nimium multa conclusisse cognoscere debebant: eiusmodi conclusiones semper maxime

---

nasial-Progr. v. Mainz 1873/4 p. 12/14) huius rei causa in Hecyrae prologo priore „quaeso“, quod a totius prologi sententia alienum esse putat, uncis seclusit.

[49]) cf. Fabiam l. s. s. p. 50 sq.

dubias esse, qua re explicatur viros doctos alium aliter de eodem prologo iudicavisse. Etenim eadem verba alterius iudicio modesta demissaque, alterius iudicio prorsus immodesta atque vana sunt.[50]) Quibus ex locis viri docti quod quisque voluit, libenter sumpserunt.

His igitur argumentis cum parum certa sunt, nobis prorsus abstinendum est.

§ 3. **De eis prologorum locis quibus Terentius adversarios aggreditur.**

Ut Luscius eiusque amici Terentium, ita hic illos nonnullis de rebus obiurgavit. Primum inquirendum est, quo hae Terenti in Luscium criminationes spectent.[51])

In Andriae prologo (v. 21) Terentius reprehendit „istorum obscuram diligentiam", ex quibus verbis et ex tota huius loci sententia apparet Terentium id illis crimini dedisse, quod fabulas Graecas verbotenus expressissent. Eiusdem rei documento sunt Terenti verba, quae sunt in Eunuchi prologo (vv. 7/8):

„Qui b e n e v o r t e n d o et easdem scribendo male
Ex Graecis bonis Latinas fecit non bonas",

in quibus hoc ‚bene vortendo' ad illam diligentiam, qua usi adversarii fabulas Graecas converterunt, spectare apparet; praeterea haec verba aliquid reprehensionis prae se ferant necesse est. Aut igitur Terentius iniquis his quoque verbis ‚bene vortendo' illam nimiam diligentiam obiecit, id quod Roehricht p. 37 (= Diss. phil. Arg. IX p. 329) putat, aut per irrisionem respexit ipsius Lusci verba, qui se solum fabulas Graecas ‚bene vertere', Terentium eas ‚contaminare' gloriatus erat, simul et addidit Luscium ut verbotenus vertisse, ita male scripsisse. Sed hoc utut se habet, Luscium fabulas Graecas verbotenus expressisse inde satis elucet. Hoc unum cum certum sit, sequitur, ut cetera vitia, quae Terentius reprehendit, non tam in Luscium quam in Graecum exemplar cadant,[52]) ut hoc igitur solum Luscio crimini

---

[50]) Hoc, ut exemplo utar, praeclarissime illustratur virorum doctorum de Andriae prologi versibus 24/27 iudiciis: Wagnerus enim (‚in libro miscellaneo edito a societate philologica Bonnensi' 1864 p. 77) putat poetam ad desperationem fere redactum hoc rogare; Paeckelmannus (l. s. s. p. 29/31) modestissime poetam hic loqui; Karstenus (l. s. s. p. 187) „poetam non levem sui fiduciam declarare aut sui spem excitare apud spectatores, uti fiat in vv. 24—28" (cf. idem p. 220).

[51]) His de locis bene egerunt Roehricht p. 31—37. (Dissert. philol. Argentor. IX p. 323—329) et Fabia l. s. s. p. 261—282.

[52]) Certe per se non minus cogitari potest Terentium Lusci universam dicendi rationem reprehendisse, id quod in ‚scribendo male' inesse potest. Neque vero hanc in rem quadrare possunt Terenti in Luscium crimina, quae in Heaut., Eun., Phorm. prologis leguntur (cf. p. 25 sq.). Quare haec vitia in Graecum exemplar cadere videntur.

dandum sit, quod nimis diligenter Graecum exemplar volvens ea quoque vertit, quae a rebus Romanis prorsus abhorrebant. Huc spectare videntur, quantum cognosci potest, cetera omnia, ut Heaut. prol. vv. 31/32: „Qui nuper fecit servo currenti in via
Decesse populum".[53])

Eun. prol. v. 10 sqq.: „Atque in Thensauro scripsit, causam dicere
Prius unde petitur, aurum qua re sit suom,
Quam illic qui petit, unde is sit thensaurus sibi
Aut unde in patrium monumentum pervenerit".

Eodem pertinere arbitror id, quod Terentius dicit in Phormionis prologo (v. 6 sqq.):

„Quia nusquam insanum scripsit adulescentulum
Cervam videre fugere et sectari canes
Et eam plorare, orare ut subveniat sibi".[54])

Reliquus est Eunuchi prologi versus 9:

„Idem (scil. ‚poeta vetus') Menandri Phasma nunc nuper dedit", quem versum cum non intellegatur, cur Terentius Lusci Phasma reprehenderit, coniecturis factis viri docti interpretari studuerunt; sicuti Bothe ingeniose proposuit:

„Idem Menandri Phasma nuper perdidit".[55])

Et Bentley ut in hunc versum idem vitium caderet, quod Terentius verbis antecedentibus (v. 7) memorat, mutavit: „Item ut Menandri Phasma nunc nuper dedit". Denique Herrmanowski (l. s. s. p. 9) cum hunc versum arenam sine calce esse cum Bentleio censeret, versum 4 ex Heautontimorumeni prologo petitum huc traiecit:

„Ex integra Graeca integram comoediam".

Sed hae coniecturae omnes prorsus superfluae sunt. Certe,

---

[53]) De servis currentibus cf. Bentleius ad h. l. (in editione denuo curata ab Ed. Vollbehrio. Kiliae 1846). — Becker-Rein in „Gallo" [3]I p. 49. — Krüger ad Horati epist. II, 1, 174. — Roehricht p. 35 sq. (Diss. phil. Arg. IX p. 327 sq.). — Fabia l. s. s. p. 274. — Cum enim servum currentem personam usitatissimam fabulae palliatae esse constet (cf. Heaut. prol. v. 37 et Eun. prol. v. 36), Lusci vitium aut in „decesse" inesse debet aut concedere debemus nos, cur Terentius Lusci fabulam nuper actam h. e. omnibus spectatoribus notam reprehenderit, nunc non intellegere. Haec igitur Lusci fabula cum nuper ageretur, aliquid factum esse videtur, quo hic omnium irrisioni fieret. Hoc, quod omnes spectatores tum haud ignorabant, Terentius ut breviter, ita efficaciter respicit.

[54]) Hac cum Lusci scaena minime est comparanda, id quod Roehricht l. s. s. p. 35 (Dissert. phil. Arg. IX p. 327) fecit, ea scaena, quam Plautus ut populum delectaret, in Menaechmis (v. 834 sqq.) praebuit: etenim apud Plautum Menaechmus sese insanire fingit (cf. v. 832 sq.), non insanus est; contra maiore iure provocari potest ad Mercat. V, 1. 2 (cf. Fabia l. s. s. p. 277 sq.).

[55]) Sed aliis quoque locis „nunc nuper" legitur; cf. Trucul. 397; Apul. Metam. IX cap. XVI.

quid Terentius in Lusci Phasmate reprehenderit, nos nescimus, spectatores vero, cum haec fabula nuper acta esset, non ignoraverunt. Nimirum haec fabula exacta erat, id quod iam Donatus suspicatur dicens: „Et bene ‚nunc nuper' ut ex vicinitate facti ostendat nihil esse dicendum, quam displicuerit haec comoedia Luscii Lavinii, propterea quod res recens sit et omnes meminerint".[56])

Atque haec quidem hactenus. Iam illud videamus, quid ex his locis de fabularum ordine lucremur: Omnino nihil, ut opinor, proficimus. Etenim hae Terenti insimulationes a duabus rebus proficiscuntur: Aut Terentius Lusci fabulas nuperrime actas respicit, ut in Eun. prol. v. 9 sqq.; in Heaut. prol. v. 30 sqq.; fortasse huc spectat illud „bene vortendo" (Eun. prol. v. 7), si ea de re Luscius ipse gloriatus est. Aut Terentius de eis rebus, quae eis vitiis, quae adversarii ipsi crimini dederunt, contrariae sunt, illos obiurgat, ut in Andr. prol v. 21 („istorum obscura diligentia" opponitur Terenti „contaminationi"); in Phorm. prol. v. 6 sqq. (quod adversarii ei „tenuem orationem et scripturam levem" crimini dederant, Terentius eos tragicae dictionis accusat.).

§ 4. **De eis prologorum locis, quibus Terentius adversariis minatur.**

In omnibus fere prologis Terentius adversariis minatur, sive solum dicit se eorum vitia futuris temporibus patefacturum esse (Andr. prol. v. 22) sive eis vitia profecto obicit addens se, si maledicere non desinant, plura eorum probra in lucem prolaturum esse (Heaut. prol. vv. 33/34; Eun. prol. vv. 14—19; Phorm. prol. vv. 22/23).[57])

Quibus locis inter se collatis ordinem fabularum statuere cum viri docti conati sint, verumne viderint, ut cognoscamus, nos quoque hos locos inter se comparemus. Dicit autem Terentius in prologis

1) Andriae (v. 22) „Dehinc ut quiescant porro moneo et desinant
Male dicere, malefacta ne noscant sua."

2) Heaut. (v. 33): „De illius peccatis plura dicet, quom dabit
Alias novas, nisi finem maledictis facit."

3) Eun. (vv. 14/19): „Dehinc ne frustretur ipse se aut sic cogitet
‚Defunctus iam sum, nil est quod dicat mihi':
Is ne erret moneo et desinat lacessere.

[56]) Contra Fabia (l. s. s. p. 268) parum concludit: „Le vers ne contient pas une critique: il n'est qu'une indication".

[57]) cf. Roehrichtium l. s. s. p. 36 (= Diss. phil. Arg. IX p. 328).

Habeo alia multa, quae nunc condonabitur,
Quae proferentur post, si perget laedere,
Ita ut facere instituit."

4) Phorm. (vv. 19/23; imprimis v. 22 sq.):
„De illo iam finem faciam dicundi mihi,
Peccandi quom ipse de se finem non facit?"

In tribus posterioribus prologis cum se plura vel multa alia prolaturum esse poeta dicat, sequitur, ut de adversariorum vitiis antea verba fecerit; obiecit autem poeta adversariis probra in eisdem prologis (Heaut. prol. v. 30 sqq., Eun. v. 7 sqq., Phorm. v. 6 sqq.). Contra in Andriae prologo Terentius, etsi postquam ab adversariorum crimine se defendit, se eorum quoque vitia mox prolaturum esse minatur, tamen non ipse aggreditur; quin etiam ex his verbis (v. 22 sq.) „desinant male dicere, malefacta ne noscant sua" dilucide apparere mihi videtur Terentium eos usque ad illud tempus omnino non aggressum esse. Hoc si recte conclusimus, sequitur, ut Andriae prologus ceteris tribus prologis anteierit.

Nec vero de Andriae modo prologo, sed etiam de aliorum prologorum ordine ex his locis viri docti aliquid enucleaverunt: veluti Paeckelmannus (l. s. s. p. 45) ita ratiocinatur: „Tum Terentius in Eunuchi prologo (v. 16) minatur veteri poetae, ut desinat lacessere, et dicit se multa alia habere, quae prolaturus sit post, si pergat laedere. Et hic quidem perrexit laedere, et Terentius profert illa in Phormionis prologo (v. 6 sqq.), eodem fere modo ac profert in Eunuchi prologo (v. 11 sqq.) id, quod in Heautontimorumeni prologo (v. 33 sq.) minatus erat."[58] Hoc ex his locis concludi posse nego; neque enim demonstrari potest haec ipsa, quae Terentius verbi causa in Heautontimorumeni prologo minatur, ea esse, quae in Eunuchi prologo profert. Hoc modo quemcumque prologorum ordinem statueris, eum verum esse ostendere poteris. Hinc igitur nihil proficimus, quo ordo fabularum inveniatur.

§ 5. De eis prologorum locis, quibus Terentius de suo prologo verba facit.

In tribus prologis de suo prologorum scribendorum genere Terentius verba facit: in Andriae, Phormionis, Adelphon prolo-

[58]) Similiter Karstenus l. s. s. p. 221: „Sic aliquo vinculo iuncti sunt hi duo prologi (scil. Andriae et Eunuchi); neque hoc tantum, sed eo quoque quod minationes iactatas in Andriae prol. 22 exequitur in Eunuchi prol. v. 9 sqq., ubi Lusci fabularum vitia recensentur." — cf. quoque Paeckelmannum l. s. s. p. 29.

gis. His ex locis quid omnino de prologis et Terenti et adversariorum appareat, infra accuratius disseremus.[59]) Nunc quid ex eis de ordine prologorum discamus, quaerimus.

I) In Andriae prologo (vv. 1—7) Terentius pronuntiat se etiam prologos compositurum esse, non ut argumentum fabulae enarret, sed ut adversariorum maledictis respondeat. Quo ex loco effici poetam usque ad eam Andriae actionem, ad quam prologus spectat, prologum omnino non scripsisse supra ostendimus.[60])

II) In Phormionis prologo legimus haec (vv. 12—19):

„Nunc si quis est, qui hoc dicat aut sic cogitet:
‚Vetus si poeta non lacessisset prior,
Nullum invenire prologum posset novos,
Quem diceret, nisi haberet cui male diceret‘:
Is sibi responsum hoc habeat, in medio omnibus
Palmam esse positam, qui artem tractant musicam.
Ille ad famem hunc a studio studuit reicere:
Hic respondere voluit, non lacessere.“

Quos cum versus scriberet, poetam complures eiusmodi prologos, quibus id solum spectaret, ut et ab iniquorum insimulationibus se defenderet et ipse in illos impetus faceret, composuisse in promptu est. Huic igitur prologo non modo Andriae prologum, sed etiam alios prologos antecessisse apparet. Quae cum ita sint, Terentius hos versus certe non ob eam causam dixit, ut populum de prologorum suorum genere edoceret, sed versus spectent necesse est ad illam contentionem, quae inter Terentium et ceteros poetas erat. Hoc ita esse etsi intelleximus, tamen responderitne poeta his verbis adversariorum crimini necne, diiudicare difficile est. Sed hac de re alias.[61]) Nunc illud satis est efficere, ut ex ipsis verbis (v. 12) „Nunc si quis est, qui hoc dicat aut sic cogitet“ apparere videatur poetam ab adversariis non lacessitum haec dixisse.

III) Tertius prologus, in quo hac de re poeta loquitur, quem locum obtineat, dubitari potest. Dicit enim poeta solum haec (Adelph. prol. vv. 22 et 23):

„Dehinc ne expectetis argumentum fabulae:
Senes qui primi venient, ei partem aperient.“

Quidnam haec verba sibi volunt? Wilmannsius[62]) quidem, cui

[59]) cf. partis II caput I.
[60]) cf. supra p. 9 sq.
[61]) cf. partis II caput I.
[62]) de didascaliis Terentianis. diss. inaug. Berolinensis 1864 p. 47—51 imprimis p. 51.

Paeckelmannus[63]) valde adstipulatur, inde efficit prologum Adelphorum in primis omnino Terenti prologis fuisse. Eum etiam primum omnium fuisse Herrmanowski[64]) putat. Quod concedes, si sola haec verba leges, non si totum prologum respicies; cum enim hunc prologum cum post complures Terenti fabulas antea actas tum post Heautontimorumenon et Eunuchum compositum esse ex reliquis huius prologi versibus supra concluserimus,[65]) haec verba aliter percipienda sunt: ne haec quidem igitur verba ad spectatores instruendos, sed ad adversarios dicta sunt.

His igitur locis collatis manifestum est Andriae prologum et Phormionis et Adelphon prologis antecessisse. Dubium est id solum, sitne Phormionis locus ante Adelphon locum scriptus an vice versa. Ad hanc quaestionem solvendam etsi certum argumentum non praesto est, tamen utrum verisimilius sit, haud scio an cognoscere possimus.

Intelleximus enim probabile esse poetam in Phormionis prologo adversariorum crimini non respondisse. Adelphon vero loco lacessitusne Terentius haec verba dixerit necne, diiudicare non possumus. Utrumque igitur poni potest:

Quodsi Terentius in hoc prologo adversariorum crimen respexit, fieri vix potest, ut hunc prologum ante illum ponamus. Etenim ex illius prologi versu 12 „Nunc si quis est, qui hoc dicat aut sic cogitet“ apparere videtur neminem usque ad id tempus talia Terentio exprobravisse; neque intellegitur, cur Terentius non in Adelphon prologo ea protulerit argumenta gravissima, quae in Phormionis prologo (v. 16 sq. et v. 18 sqq.) profert.

Neque tamen si non respondit Terentius hoc loco adversariorum crimini, probabile mihi esse videtur Adelphon prologum ante Phormionis prologum scriptum esse. Utroque enim in prologo se argumentum non narraturum esse dicit; verisimilius autem esse mihi videtur poetam in priore prologo hac de re accurate egisse argumentaque protulisse, id quod in Phormionis prologo fecit, in posteriore de his verbis prioris prologi quasi monuisse dicentem „Dehinc ne exspectetis argumentum fabulae sq.“[66])

Sed ne hoc quidem argumentum pro certo habendum esse cum concedam, ne in idem vitium incidamus, quod aliis supra obiecimus,[67]) uter utro prologo prior sit, in medio relinquendum est.

---

[63]) l. s. s. p. 32 sqq. — [64]) l. s. s. p. 38.
[65]) cf. supra pp. 12; 18 sq.; 19 sq.
[66]) cf. W. Wagner in annal. nov. philol. XIC (1865) p. 290 sq.
[67]) cf. supra p. 23 sq.

§ 6. Conclusiones.

Priusquam ad seriem et prologorum et fabularum statuendam adeamus, omnia, quae adhuc disputatione nostra lucrati sumus, summatim comprehendamus:

I. De Andriae prologo haec constare vidimus:

a) Hunc prologum ante et Heautontimorumeni et Hecyrae primam actionem scriptum esse (p. 17 sq.);

b) Eum prologis et Heautontimorumeni et Eunuchi et Phormionis antecessisse (p. 26 sq.);

c) Eum et ante Adelphon prologum et (ut verisimillimum est) aliquanto ante Phormionis prologum compositum esse (p. 27/29);

d) Eum primum omnino Terenti prologum esse (p. 9 sq.).

II. 1. Heautontimorumenon Hecyrae primam actionem subsecutam esse, ante igitur Hecyrae duas posteriores actiones actam esse verisimillimum est (p. 12.).

2. Praeterea constat

a) poetam cum hunc prologum scriberet, non multo ante in publicum prodisse (p. 10.);

b) poetam paucas antea fabulas egisse (p. 11).

3. Denique conclusimus hunc prologum

a) ante et Phormionis (p. 13) et Adelphon (p. 18 sq.) et, ut videtur, Eunuchi (p. 21) prologum

b) post Andriae prologum (p. 17 sq.) scriptum esse.

III. Ex Phormionis prologo didicimus

1. Terentium complures fabulas antea docuisse (p. 11) rixamque inter eum Lusciumque aliquamdiu fuisse (p. 11.);

2. Poetam unam minimum cladem unumque successum accepisse (p. 12), id quod ad Hecyrae et Heautontimorumeni primas actiones pertinere verisimillimum esse putamus (p. 13);

3. Poetam duos minimum novi sui generis prologos scripsisse (p. 11 sq.); in eis certe Andriae (p. 27/29) et Heautontimorumeni (p. 13) prologos esse.

IV. Eunuchi prologum intelleximus

1. Non primum esse (p. 11);

2. Non multo ante Adelphon prologum — itaque post Heautontimorumeni prologum — scriptum esse (p. 19 sq. et p. 21).

V. Adelphon prologum

1. Ad primam Terenti fabulam spectare non posse vidimus (p. 12).

2. Deinde apparet poetam complures fabulas antea docuisse (p. 12) easque

a) Heautontimorumenon aliquanto ante (p. 18 sq.),
b) Eunuchum non multo ante (p. 19 sq.).

VI. Hecyrae prologum priorem apparet

1. Post primam Hecyrae actionem (p. 12),

2. Post aliarum quoque fabularum actiones (p. 12), sicuti certe post Hecyrae (cf. 1) et Heautontimorumeni primas actiones (p. 12 sq.),

3. Post omnes ceterarum fabularum actiones, ad quas prologi spectant (p. 12 sq.), scriptum esse.

VII. Hecyrae prologus posterior scriptus sit necesse est:

1. Post Hecyrae prologum priorem (p. 12).

2. Verisimile est tertiam Hecyrae actionem secundam brevissimo spatio interiecto subsecutam esse (p. 12 sq.).

His omnibus collatis plenamne prologorum et fabularum seriem chronologicam statuere possimus, videamus.

1. Primum statuimus Andriae prologum antecedere prologos Heautontimorumeni, Phormionis, Eunuchi, Adelphon; deinde ut Hecyrae primam, ita Hecyrae secundam et tertiam actiones: omnes igitur prologos omnesque ceterarum fabularum primas actiones. Hac igitur re id, quod solo ex Andriae prologo cognoveramus, egregie confirmatur.

Deinde quoniam Heautontimorumenon Hecyrae primam actionem excepisse vidimus, perspicuum est Hecyrae duas posteriores actiones post Heautontimorumenon factas esse. Cum autem etiam Eunuchi, Phormionis, Adelphon prologi post Heautontimorumeni prologum scripti sint, sequitur, ut Heautontimorumeni prologus secundum locum obtineat. Inter harum fabularum actiones Hecyra primum exacta est.

2. Agmen autem claudunt duae Hecyrae iteratae actiones.

3. Restant igitur prologi Eunuchi, Phormionis, Adelphon, qui et post Heautontimorumenon et ante Hecyrae secundam actionem scripti pronuntiatique sunt. Illud autem solum constat Eunuchum non multo ante Adelphos actam esse. Sed quid de Phormionis prologo iudicandum sit, dubium est.

a) Ex Phormionis prologi vv. 30—34, quibus poeta Hecyrae actionem infelicem et Heautontimorumenon cum successu actam significat, Herrmanowski (l. s. s. p. 31) efficit non modo Heautontimorumon ante Phormionem et post Hecyram (I) actam esse, sed etiam continuum ordinem harum trium fabularum nulla alia Terentiana fabula interpellatum esse. Neque vero haec ratiocinatio necessaria est, id quod iam Dziatzko[68]) intellexit. Non

[68]) Dziatzko in „Berliner Wochenschrift für klassische Philologie". 1893 Sp. 75.

minus enim recte cogitari potest Terentium tum demum, cum Eunuchus fabula maxime placuerat, de Hecyrae clade monere ausum esse.[69])

b) Addendum est aliud: Certis argumentis nisi Eunuchum paulo ante Adelphos actam esse intelleximus. Ne hac quidem re demonstratur Adelphos Eunucho proximam fabulam fuisse. Etenim furti crimen eo modo, quo in Adelphon prologo respicit, poeta respicere non poterat nisi in prologo eius fabulae, quae si acta esset, adversarios idem crimen obiecturos esse poeta divinabat. Phormio igitur ut acta sit inter Eunuchum et Adelphos, tamen cum hanc fabulam ex una integraque Graeca vertisset,[70]) nemo illud crimen Terentio obicere potuit. Contra Terentius in Adelphos suam ex Diphili fabula Συναποθνῄσκοντες, quam iam a Plauto usurpatam esse et Terentius et iniqui haud ignorabant, unam scaenam transtulerat; quam etsi Plautus integram reliquerat, tamen facillime fieri poterat, ut illi criminationem denuo promere auderent. Ob eam igitur rem Terentius in Adelphon prologo illud crimen respexit. — Neque igitur necesse est aut Phormionem continuo post Heautontimorumenon actam esse aut Eunuchum et Adelphos, etsi parvo spatio intermisso actae sunt, continuum ordinem efficere.

Ex prologis igitur solis cognosci potest haec series

I. prologorum:	II. fabularum:	
Andriae, Heautontimorumeni, Eunuchi, Adelphorum,	1. Andriae actio, ad quam prologus pertinet; quae primane fuerit necne nescimus. 2. Hecyrae prima actio 3. Heautontimorumeni prima actio.	quae fabulae etsi continuum ordinem efficiunt, quanto spatio intermisso actae sint, ex prologis non discimus.
Hecyrae prol. I.,	Eunuchi prima actio Adelphon prima actio	factae sunt parvo spatio intermisso.
Hecyrae prol. II.	Hecyrae secunda actio Hecyrae tertia actio	nulla alia Terenti fabula intermissa.

Phormio igitur aut ante Eunuchum aut ante Adelphos aut, id quod propter Phormionis prologi vv. 12 sqq. non veri-

[69]) cf. infra p. 33 adn. 71.

[70]) Phormionem contaminatam esse Rummler (quaestiones Terentianae. dissert. inaug. Hal. 1873 p. 22 sqq.) ostendere studuit; perperam sane. cf. Fabiam l. s. s. p. 189 sq. (imprimis p. 190 n. 1) et W. Wagnerum in Bursiani relationibus I (1873) p. 449.

simile esse videtur (cf. p. 29), ante Hecyrae secundam actionem acta est, neque quicquam certi statui potest.

Hic fabularum ordo, quem ex prologis accurate examinatis eruimus, cum ordine fabularum chronologico, qui in didascaliis traditur, omnibus ex partibus congruit. Secundum didascalias enim ordo est hic:

1. Andria acta ludis Megalensibus anni 166 a. Chr.
2. Hecyra primum acta anno 165 a. Chr.
3. Heautontimorumenos acta anno 163 a. Chr.
4. Eunuchus acta anno 161 a. Chr.
5. Phormio acta anno 161 a. Chr.
6. Hecyra iterum acta } ludis funebribus L. Aemili
7. Adelphoe acta } Paulli (anno 160 a. Chr.).
8. Hecyra tertio acta ludis Romanis anni 160 a. Chr.

Quae cum ita sint, facere non possumus, quin de ea quoque re, de qua nihil certi ex prologis enucleari potest, in didascaliis verum traditum esse putemus, praesertim cum hoc prologis minime repugnet: Phormionem igitur post Eunuchum actam esse[71]) censebimus.

Caput III: De nonnullis aliis prologorum locis, quibus ordo fabularum chronologicus aut infirmari videtur aut fulcitur.

§ 1. De Heautontimorumeni prologi versibus 16—19.

In prioribus capitibus statuimus Heautontimorumeni prologum secundum Terenti prologum esse, Andriam et Hecyram (I) fabulas antea actas esse. Quarum alteram contaminatam, alteram non contaminatam esse cum sciamus, quomodo verba intellegantur, quaeris, quae leguntur in Heaut. prol. (vv. 16—19):

„Nam quod rumores distulerunt malivoli,
Multas contaminasse Graecas, dum facit
Paucas Latinas: id esse factum hic non negat,
Neque se pigere et deinde facturum autumat."

[71]) Huic rei convenire id, quod Terentius in utroque prologo (Eun. et Phorm.) eisdem fere in sententiis versatur, recte ostenderunt Wagner (annal. philol. nov. XCI [1865] p. 288) et E. Hauler (in Phorm. ed. p. 16 n. 3), qui praeterea hoc recte dicit: „Dass ferner im Prolog zum Eunuch eine Anspielung auf die durchgefallene Hecyra fehlt, erklärt sich aus dem aktuellen Stoffe dieses Prologs, der Entgegnung auf die eben vorangegangene Beleidigung des Dichters durch Luscius Lanuvinus"; praeterea ex toto Phorm. prologo apparere mihi videtur Terentium gaudio alacrem fuisse (cf. vv. 1—3; 5—19; 31—34), id quod magno Eunuchi successu satis explicatur.

Ex quibus complures, certe duas fabulas contaminatas Heautontimorumenon antecessisse cum apparere videatur, aut Adelphos[72]) aut Eunuchum,[73]) quarum utramque fabulam contaminatam esse Terentius in prologo ipse confitetur, ante Heautontimorumenon actam esse viri docti putaverunt. Sed utrumque et ab eis, quae ex didascaliis et ex prologis de primis harum fabularum actionibus scimus, abhorret et dummodo illa verba recte percipiantur, prorsus superfluum est. Haec enim sunt observanda:

Primum memorandum est Terenti adversarios acerbissimos haec verba dixisse. Qui postquam Andriam contaminatam esse intellexerunt, utrum ceterae quoque Terenti fabulae contaminatae essent necne, certe omnino non quaerebant, quique rumores per populum propagantes simulabant sese scire alias quoque Terenti fabulas contaminatas esse. Quae cum ita sint, utrum Hecyra contaminata sit necne, ad hanc rem solvendam minime interest. Adversarii hanc quoque fabulam numerabant in eis, quas Terentius ex compluribus fabulis Graecis fecisset.

Deinde cum adversarii haec verba dixerint, eos nimium audacter locutos esse per se apparet. Hoc solum modo illud ‚multas‘ explicari potest.[74]) Praeterea hunc locum ut recte percipiamus, a verbis „dum facit paucas Latinas“ nobis proficiscendum est: Terentium usque ad illud tempus paucas fabulas Latinas scripsisse et egisse constat, id est Andriam et Hecyram (I). Huic rei adversarii malitiosi, quippe qui Terenti Andriam ex duabus fabulis Graecis factam esse scirent, opponebant „multas Graecas contaminasse“, ut ei, qui haec verba audiebant, Terentium non modo ex binis fabulis Graecis suas fabulas fecisse, sed etiam eum, ut unam fabulam Latinam conficeret, multas Graecas compilasse atque contaminasse putarent. Quot igitur hae ‚multae‘ re vera fuerint, hic omnino nihil refert.[75])

Harum duarum rerum ratione habita illa verba „rumores distulerunt malivoli (eum) multas Graecas contaminasse, dum facit paucas Latinas“ etsi duae tantum fabulae antecesserunt,

---

[72]) Dziatzko: Mus. Rhen. nov. XXI (1866) p. 78/80. — Paeckelmann l. s. s. p. 35 sqq. — cf. Wilmanns l. s. s. p. 49 sqq.

[73]) Fabia l. s. s. p. 47 sq.

[74]) cf. Fr. Schoellius quoque (in Mus. Rhen. nov. LVII (1902) p. 49 adn. 2).

[75]) Contra nihil valet id quod Skutschius in Philologi tom. LIX, (1900) p. 8 dicit: „Dass wer den Heautontimorumenos (von der Hecyra abgesehen) als das 2. Stück ansieht, das eigentlich erst jetzt, nachdem er als kontaminiert erwiesen ist, einigermassen unbedenklich thun kann. Multas von Andria und Perinthia allein zu sagen, durften sich doch wohl selbst Terenz'

ferri possunt. Huic autem sententiae, qua probata Heautontimorumenos quominus tertia Terenti fabula habenda sit, nil obstat, repugnare videntur Terenti ipsius verba (v. 18 sq.):

„Id esse factum hic non negat,
Neque se pigere et deinde facturum autumat."

Sed Terentius huius criminis notionem, non propriam verborum sententiam, quibus iniqui usi erant, respexit. Ei autem crimini dederant, quod ex multis fabulis Graecis paucas Latinas fecisset, id quod a vero aberrabat. Etenim Terentius tum solam Andriam suam ‚contaminaverat'. Cum autem populus etsi Andriam contaminatam esse haud ignoraverat, tamen fabulam probavisset, Terentius de verbis cum iniquis non certavit, immo confidenter eis respondit se id, quod sibi crimini darent, omnino non negare neque se pigere, immo et postea sese hoc facturum esse gloriatus est.

§ 2. **De Adelphon prima et Hecyrae secunda actionibus.**

Hecyrae iterationes post eas ceterarum fabularum actiones, ad quas prologi spectant, factas esse inde conclusimus (cf. supra p. 12 sq.), quod Hecyrae iterum exactae memoria in nullo alio prologo exstat nisi in Hecyrae prologo altero. Didascaliis autem etsi hoc confirmatur, tamen cum comperiamus et Hecyram (II) et Adelphos eisdem ludis funebribus L. Aemili Paulli actas esse, argumentum, quo supra nisi sumus, aliquid infirmari concedo. Etenim etiamsi Hecyram (II) ut eisdem ludis, ita paulo ante Adelphos actam esse putamus, cum omnes spectatores Hecyram modo exactam esse scirent, poeta huius calamitatis in Adelphorum prologo mentionem fecerit minime necesse est,[76]) praesertim cum huius rei mentione facta se suamque novam fabulam non commendaret. Quae cum ita sint, utra prior, utra posterior his ludis acta sit, ut cognoscamus, alia argumenta proferenda sunt. Hanc quaestionem ut diiudicarent, viri docti ad haec provocaverunt:

übertreibende Gegner nicht gestatten. Hatte Terenz schon vier griechische Stücke zu zwei lateinischen verarbeitet, so ging es eher an." Sed adversarii hoc vitium iam ante Heautontimorumeni primam actionem, huius igitur fabulae ratione non habita Terentio obiecerunt. Quamobrem sitne Heautontimorumenos contaminata necne, ad hanc quaestionem nihil refert. Deinde ex eis, quae Skutschius profert, minime apparere hanc fabulam contaminatam esse infra demonstrabo (cf. cap. V § 2).

[76]) Hoc censuit Paeckelmannus l. s. s. p. 32. Atque hoc etiam animadvertendum est poetam in Heautontimorumeni prologo, quem quia Hecyra (I.) antea non steterat, ipsi Ambivio pronuntiandum tradidit, de Hecyra infeliciter acta ne unum quidem verbum facit.

I. Terentium poetam modeste atque demisse in Adelphorum prologo loqui viri docti[77]) dixerunt, quamobrem Adelphi aut omnino in primis fabulis esset aut continuo post Hecyrae secundam actionem acta. At talibus argumentis nihil demonstrari posse ex eis, quae supra (p. 23 sq.) exposui, apparet. Viri docti enim id, quod quisque voluit, sibi sumpsisse mihi videntur. Praeterea Fabia[78]) rectissime dicit hunc prologum a ceteris (Hecyrae duobus prologis exceptis) eo tantum differre, quod Terentius ab adversariis lacessitus se defendit, non in illos invehitur.[79]) Hoc excepto Terentius hoc in prologo confidenter atque audacter loqui mihi videtur.[80]) Primum enim Terentius non exspectat, dum adversarii sibi iterum furtum exprobrent, sed se ex Diphili Commorientibus scaenam quandam sumpsisse ultro dicit respiciens ea, quae ante Eunuchi actionem evenerant. Hoc audacis, non modesti poetae esse puto. Deinde criminationem, qua usi adversarii Terentium adsidue ab amicis adiutari dixerant, poeta reicit non, ut in Heautontimorumeni prologo, ad spectatores iudicium deferens, sed suum hac de re iudicium proferens, ut idem, quod illi sibi vitio tribuerint, se ipsum maximam laudem ducere profiteatur. Denique in vv. 22—23 quasi per ironiam indicat, quod discrimen sit inter suum et adversariorum genus prologorum scribendorum, simul et monet de Phormionis prologo. Ne hoc quidem a poeta modesto dici mihi videtur. Quamquam quid opus est in hoc philosophari, cum hac de re diverse iudicari posse inter omnes constet? Demonstravi enim hunc prologum aliter quoque atque illi viri docti volunt, percipi posse. Hoc autem satis est ad eorum argumentum infirmandum.

II. Alterum argumentum, quo ut Adelphos ante Hecyram (II) actam esse demonstret, Paeckelmannus (l. s. s. p. 31 sq.) utitur, est hoc: „nonne mens sana Terentium iussit primum fabula, quam populus aut iam probaverat aut quam sane ab eo probatum iri sperare poterat, spectatorum animos sibi conciliare et postea fabulam quinque annis ante non peractam referre?“ Certe, nobis hoc verisimillimum esse videtur, sed Terentiusne eodem modo egerit aut omnino, quo erat animi habitu, agere

---

[77]) Wilmanns l. s. s. p. 50 sq. — Paeckelmann l. s. s. p. 29 sqq. — Dziatzko in Mus. Rhen. nov. XXI p. 79 et in Phorm. edit.² (1885) p. 12 n. 3. — Wagner in annal. philol. nov. XCI (1865) p. 290.

[78]) l. s. s. p. 49. — cf. Hauler: Phorm. ed.³ p. 17 n. 1.

[79]) cf. Wagner l. s. s. — Ita iam Donatus in Adelph. praef. (cf. Reifferscheidii edit. Donati praef. [libellus univers. Vratislav. 1875/6] p. 7 l. 6): „In hac prologus aliquanto lenior inducitur: magis etiam in se purgando, quam in adversariis laedendis est occupatus.“

[80]) cf. Karstenus l. s. s. p. 208 sq.

potuerit, nos diiudicare non possumus. Quamobrem hoc quoque argumento desistendum est.

III. Tum, dicat quis, si Adelphoe ante Hecyram (II) acta esset, verba, quae in didascaliis et apud Donatum legimus: „Hecyra facta est V"[81]) intellegi omnino non possunt. At ne tum quidem si Hecyram (II) ante Adelphos actam esse putamus, intellegi haec verba possunt. Neque enim cur huius secundae Hecyrae actionis infelicis ratio habita sit — non aut primae omnino actionis aut primae felicis actionis —, viri docti explicare possunt.[82]) Numeri singulis fabulis in didascaliis additi non multum valere mihi videntur. Cum enim eae, quas habemus, didascaliae ad Terenti fabulas spectantes tempore rei publicae liberae exeunte, fortasse a M. Terentio Varrone, compositae esse videantur, verisimile est eum grammaticum, qui in res ad fabularum Terentianarum actiones pertinentes inquirebat, solum id perscriptum invenisse et Adelphos et Hecyram eisdem ludis funebribus L. Aemili Paulli actas esse, neque vero, utra prior, utra posterior fuisset, legisse. Quamobrem ne huic quidem testimonio magnam fidem habendam esse puto.

IV. Ne inde quidem quod Hecyrae prologus alter ab ipso Ambivio pronuntiatus est, effici Hecyram (II) modo (h. e. post Adelphos) iterum exactam esse supra (cf. p. 12) vidimus; neque enim minus cogitari potest Terentium hunc prologum ob eam rem Ambivio pronuntiandum dedisse, quod ea, quam tum agendam curabat, fabula antea — non modo — bis exacta erat.

V. His omnibus argumentis reiectis unum restat, ut et Adelphon et Hecyrae priorem prologum iudicio non occupato examinemus. Neque vero quomodo verba interpretemur, id quod alius aliter facit, quaeritur; sed aliud quiddam insigne conspicuumque est: puto Hecyrae priorem prologum nihil continere nisi octo versus, id quod ab omnibus ceteris Terenti prologis prorsus est alienum. Hoc cum viros doctos offenderet, hi vili medela usurpata lacunam statuerunt. Ad hanc statuendam qui primus recentiorum[83]) accessit, huius prologi verba

---

[81]) Donatus praebet in Hec. praef.: „ . . . tota Graeca est, factaque et edita quinto loco".

[82]) cf. Ritscheli comment. in Suet. vitam Ter. (Reifferscheidi ed. Suet. rell. p. 501). — Dziatzko: Mus. Rhen. nov. XXI p. 86, XXXIX p. 339 sqq. Phorm. ed.[2] p. 13. Adelph. ed. p. 91. — Amdohr: diss. inaug. ('Prol. Hec. Terent. gramm. crit. hist. ratione pertractantur'. Francofurti ad Viadr. 1873) p. 29 sq. — Wilmanns l. l. p. 47 sqq. — Karsten l. s. s. p. 178 sqq. — Leo: Mus. Rhen. nov. XXXVIII p. 317 sqq. (impr. p. 324). — Hauler: Phorm. ed.[3] p. 17 n. 2.

[83]) Ihne: quaest. Terent. diss. inaug. Bonn. 1843 (thesis 16). — Ita

prorsus perperam intellexerat. Putabat enim vir doctus verba ita coniungenda esse: „non ob eam rem voluit iterum referre, ut iterum posset vendere, Sed . . .“. Quam interpretationem ipsius poetae verbis repugnare neque omnino, quod ad rem grammaticam attinet, ferri posse etsi viri docti postea intellexerunt,[84]) tamen lacunam semel detectam retinuerunt.[85]) Brevi post etiam eos versus, quos hoc loco deesse putabant, viri docti invenerunt. Dziatzkone enim auctore Heautontimorumeni prologi vv. 7—9 ex hoc prologo eiecerunt eosque in Hecyrae prologum, ut lacunam aut totam aut, id quod prorsus perversum est, ex parte explerent, traiecerunt.[86])

Sed primum provoco ad ea, quae initio dissertatiunculae dixi (p. 5 sqq.).

Deinde nego Heautontimorumeni prologi versus in Hecyrae prologo ferri omnino posse. Scimus enim eam solam fabulam novam appellari, quae ex Graeca fabula a nullo alio comico Latino antea tacta conversa est eademque primum apud spectatores data est (cf. supra p. 8 n. 13). Sed Hecyra primum antea agi certe coepta erat[87]) ita ut, etsi non ad finem acta erat, tamen nova non iam esset. Hoc dilucide, opinor, Terenti ipsius verbis demonstratur, quae in Hecyrae prologo priore (v. 5) inveniuntur:

„haec planest pro nova.“

Ne Terentius quidem dicere audet Hecyram novam esse; tamen id, quod pro alia re substituitur, profecto non idem est atque ea res, pro qua substituitur. Quamobrem verba, quae in Heautontimorumeni prologo (v. 7) leguntur: „Novam esse ostendi“ ab Hecyrae prologo prorsus abhorrere mihi videntur.[88])

---

antea iam Schmieder in Terenti edit. (Halis 1794) p. 391 (ad Hec. prol. I. vv. 6. 7).

[84]) cf. Dziatzko: Mus. Rhen. nov. XXI (1866) p. 474.

[85]) Dziatzko in diss. inaug. p. 10. et in Mus. Rhen. nov. XXI (1866) p. 474 et in ed. Tauchnitz. (1884). — Wagner in „lib. miscell.“ (1864) p. 72 et in annal. philol. nov. XCI (1865) p. 284 sq. — Fleckeisen in tribus ed. Teubn. (1871, 74, 98). — Umpfenbach in Ter. fabb. ed. Berol. 1871 (cf. autem, quid vir doctus in ‚Anal. Terent.‘ [Mogontiaci 1873] p. 12 sqq. exposuerit). — Amdohr l. s. s. p. 10. — Havet: rev. de philol. X (1886) p. 12 sqq. — Karsten: Mnem. XXII (1894) p. 196, 213 sq.

[86]) Dziatzko: diss. inaug. p. 10. — eique fere omnes viri docti adstipulantur: Karsten l. s. s. — Wagner: l. s. s. — Havet l. s. s. etc.

[87]) cf. Hec. prol. II. v. 25: „Quom primum eam agere coepi . . .“; contra nihil valent verba Hec. prol. I v. 1 sqq., quippe quae duplicem sensum admittant. cf. Herrmanowski l. s. s. p. 11 sq.

[88]) Terentius cur hanc fabulam, etsi non nova sit, amen „pro nova“ esse dicat, haud scio an Leo l. s. s. p. 19 recte exposuerit. — aliter Roehricht l. s. s. p. 9 sqq. (= Diss. Arg. IX. p. 301 sqq.).

Tum vero, id quod caput est, illos versus ab Heautontimorumeni prologo alienos esse nullo nisi fallor satis probabili argumento demonstratum est. Immo, hos versus loco tradito ferri posse et Umpfenbachius[89]) et Leo (l. s. s. p. 20—24)[90]) ostenderunt.

Denique ne id quidem probatum est hoc Hecyrae prologi loco lacunam hiare. Neque enim, si structuram grammaticam respexerimus, dum modo ne verba cum Ihnio perperam interpretemur, lacunam demonstrare possumus. Neque magis in contextu sermonis quicquam desideratur. At versus 7 et 8 omnino non inter se coniuncti sunt. Num igitur in ceteris prologis singulae partes rhetoricae, quas quisque Terenti prologus continet, inter se colligatae atque implicitae sunt?[91]) Nullum igitur vestigium cum exstet, quo usi hunc prologum lacunosum esse demonstrare possumus, ne ob eam quidem rem ad illam sententiam progrediemur, quod hic prologus brevissimus est.[92])

Putamus ergo prologum Hecyrae priorem, qualem poeta ipse scripsit, talem memoriae traditum esse. Brevitas autem prologi a consuetudine poetae aliena cum non neglegentiae librariorum, sed consilio ipsius poetae debeatur, cur poeta Hecyrae (II) prologum octo tantum versuum praemiserit, quaerimus. Hoc nulla, credo, re explicatur, nisi eo, quod Terenti Adelphoe paulo ante acta erat. In huius autem fabulae prologo non modo adversariorum maledictis responderat, sed etiam id, quod illos sibi crimini daturos esse putabat, plane refutaverat. Quid igitur restabat, quod in Hecyrae prologo priore tractaret? Nihil eiusmodi rerum repetit, sed breviter de Hecyra primum exacta exponit. Ex hac igitur re apparere mihi videtur Adelphos ludis funebribus L. Aemili Paulli paulo ante Hecyram primum iteratam actam esse.

---

[89]) Analecta Terentiana p. 14 sq.

[90]) cf. quoque Amdohrium l. s. s. p. 11 sqq. (imprimis p. 12).

[91]) Quam saepe singulae prologorum partes nullo omnino vinculo addito positae sint, ut intellegas, conferas haec: in Andr. prol. vv. 23 et 24 solum figura rhetorica, quae „παρονομασία“ dicitur, inter se coniuncti sunt; in Heaut. prol. quid dicturus sit, Ambivius v. 3 indicat; tamen priusquam haec promissa dicat, alia ad fabulam commendandam necessaria interponit (vv. 4—9); in Phorm. prol. omnes singulae partes parum arte annexae sunt: cf. vv. 11 et 12 („nunc“); vv. 23 et 24 („nunc“); in Adelph. prol. cf. vv. 21 et 22 („dehinc“); in Hec. prol. II cf. vv. 19 et 20 (voce „nunc“ fit transitus). — cf. Umpfenbach l. s. s. p. 14/15 et Leo l. s. s. p. 23.

[92]) cf. Herrmanowski l. s. s. p. 12 sq. — Umpfenbach l. s. s. p. 12 sqq. — cf. etiam Fabia l. s. s. p. 304.

§ 3. De adversariorum criminationibus.

Prologorum et fabularum ordo, quem statuimus, insimulationum quoque adversariorum generibus valde fulciri mihi videtur. Primam enim criminationem adversariorum spectare ad Terenti contaminationem vidimus. Nec mirum: Luscius eiusque asseclae Caecilii vestigia persecuti fabulas Graecas verbotenus vertebant. Quamobrem id ante omnia eos offendit, quod Terentius poeta novus consulto Graecum exemplum liberiore modo tractaverat, duas fabulas Graecas in unam Andriam conflaverat. Hoc igitur ei obiecerunt. Terentius autem ad Naevium, Plautum, Ennium provocavit. Qua re non contenti adversarii tum rumores distulerunt Terentium ut unam fabulam conficeret, multas Graecas contaminasse. Sed ne hac quidem re effecerunt, ut Terenti fabulae displicerent. Hoc igitur crimen nullam omnino vim habere ad Terentium detrectandum cum intellexissent, alias insimulationes excogitaverunt. Tamen Andria, etsi eam contaminatam esse antea sciverat, cum populo placuisset neque successus fabulae minui omnino posset, iniqui id spectaverunt, ut hunc successum amicorum, non Terenti esse dicerent. Huius rei diiudicandae causa populum ipsum Terentius iudicem (in Heaut. prol.) advocavit. Etiam Heautontimorumenos fabula stetit. Neque vero adversarii Terentio insidias parare desierunt. Qui cum id quibus modis persequerentur, dum ei obtrectarent, nihil pensi haberent, Luscius perfecit, ut antequam Eunuchus ageretur, sibi copia inspiciundi daretur.[98]) Quae fabula cum magistratibus praesentibus agi coepta esset, Luscius exclamavit Terentium furem, non poetam esse. Haec poeta in Eunuchi prologo spectatoribus narravit et a furti crimine se defendit, vel potius se defendere studuit. Etenim non tam purgatur quam cavillatur. Hac igitur in re Luscius verum vidisse videtur. Tamen etiam Eunuchus placuit, etiam magis quam omnes ceterae fabulae. Neque plus proficiebant iniqui dicentes Terenti fabulas esse tenui oratione ac scriptura levi. Nullo igitur crimine quicquam pro-

---

[98]) Ex Eun. prol vv. 20 sqq.:
Menandri Eunuchum postquam aediles emerunt,
Perfecit sibi ut inspiciundi esset copia.
Magistratus quom ibi adesset, occeptast agi."
dilucide apparere mihi videtur Luscium iam ante eam actionem, quae magistratibus praesentibus facta est, Terenti fabulam „inspexisse", quod verbum de libro legendo ursurpatur; qua re explicatur eum confestim cum Eunuchus „occepta esset agi", exclamavisse Terentium parasiti et militis personas ex veteribus fabulis Naevi et Plauti abstulisse. -- cf. Plauti Stich. v. 454 „Libros inspexi". — Eodem modo iudicare videtur R. Kauer l. s. s. (cf. supra p. 20 adn. 38).

fecerunt: Terentius semper superior discessit omnesque eius fabulae Hecyra excepta populo valde placuerunt. Quare quoniam se suis insimulationibus minime effecisse, ut Terenti fabulae exigerentur, iniqui intellexerant, denuo id crimini ei dederunt, quod fabulas non ipse, sed ab hominibus nobilibus adiutus scriberet.

Sed in rebus apertissimis nimium longi sumus. Id igitur, quod volui, ut comprehendam: attendendum esse puto primum crimen contaminationis initio tantum occurrere atque a Terentio in duobus solis primis prologis refutatum esse; deinde crimen, quod ad amicorum auxilium pertinet, bis ab adversariis usurpatum esse: primum, simulatque Andria, prima Terenti fabula, probata est; tum postquam Terentius, etiamsi quibuscumque rebus potuerunt, ei obtrectare studuerant, tamen nihil paene nisi palmas acceperat.[94])

Caput IV: **De Andriae prologo.**

Andriam primam Terenti fabulam esse primumque anno 166 M. Marcello C. Sulpicio coss. actam esse et ex didascaliis et ex Terenti vita Suetoniana et ex Donati praefatione Andriae praemissa manifestum est neque ullum exstat vestigium, quo Andriam Terentio vivo iterum actam esse dilucide appareat.[1]) Hoc etsi ita se habet, tamen Andriam Terentio vivo iteratam esse permulti viri docti putaverunt prologo Andriae adducti, quem ad primam anni 166 actionem pertinere negaverunt. Ac profecto Terentius cum fabulam, quam histriones acturi sint, novam esse in ceteris prologis perspicue dicat exceptis Hecyrae prologis, quorum priorem ad secundam, posteriorem ad tertiam Hecyrae actionem spectare poeta luculenter indicat, eiusmodi verba in Andriae prologo prorsus desiderantur. Quamobrem utrum prologus ad primam actionem referendus sit an ad aliam, ut cognoscamus, aliis huius prologi locis nobis nitendum est, id quod multi viri docti fecerunt. Sed in duas partes virorum doctorum hac de re iudicia abierunt: alteri ad prologi verba quaedam provocaverunt, quae quasi clamare viderentur prologum ad posteriorem actionem pertinere, alteri aut eisdem aut aliis locis nixi hunc prologum primae actioni attribuerunt. Quae cum ita sint, non supervacaneum atque inutile videtur denuo totam

---

[94]) Perperam Herrmanowski l. s. s. p. 37 (cf. adn. 20).

[1]) Alterum qui in codicibus quibusdam traditur, exitum non Terenti esse constat. cf. imprimis A. Greifeld: „De Andriae Terentianae gemino exitu.“ Diss. inaug. Halensis 1886.

hanc quaestionem movere. Atque omnes quidem prologi locos, ex quibus quo tempore ea actio, ad quam prologus pertinet, facta sit, apparere viri docti putaverunt, diligenter conferamus accurateque examinemus.[2])

I. Prologum ad posteriorem actionem spectare ut demonstrarent, viri docti haec protulerunt argumenta ex prologis ducta:

1. In v. 3 legi: „quas fecisset fabulas".[3])

2. In v. 5 legi: „Nam in prologis scribundis operam abutitur": quod solum ab eo dici posse, qui alios iam prologos scripsisset.[4])

3. Terentium dicere in v. 6 sq.: „operam abutitur, qui malivoli veteris poetae maledictis respondeat"; unde effici, ut Terenti adversarii iam ipsi in prologo eum aggressi essent.[5])

4. Cum Terentius v. 8 sqq. impetus in Andriam ab iniquis factos reiceret, sequi, ut illi fabulam antea accurate cognitam habuissent: quod cogitari non posse nisi Andria iam antea acta. Praeterea huiusmodi criminationes, quales adversarii sparsissent, a populo intellegi non potuisse nisi, si fabula nota fuisset.[6])

5. Denique viri docti provocaverunt ad prologi exitum (v. 24 sqq.), ex quo quam certissime consequi Wagner dicit, ut Terentius ante hanc Andriae actionem, ad quam hic prologus scriptus sit, aliam vel alias fabulas in scaenam dederit, quae exactae sint.[7])

Haec argumenta pro certissimis habent viri docti; nam sententiae generales a viris doctis pronuntiatae non multum valent.[8])

---

[2]) Hac de re nuperrime egit Karsten (Mnem. XXII [1894] p. 186 sqq.) denuoque ceterorum sententias argumentaque contulit. Sed neque omnium virorum doctorum sententias neque omnes prologi locos, qui ad hanc rem diiudicandam summi sunt momenti, satis respexit. Deinde et ipse iudicio occupato ad hanc rem accessit. — cf. Hauler: Phorm. ed. p. 16 n. 1.

[3]) Haec esse videtur Wagneri sententia (‚lib. miscell.' p. 74). cf. autem infra p. 45 adn. 18.

[4]) Praeter eos, quos Fabia l. s. s. p. 29 affert, cf. Westerhov-Stallbaum: Ter. fabb. ed. I (Lips. 1830) ad h. l. — A. Spengel: Andr. ed. (Berol. 1875) p. X. — Karsten l. s. s.

[5]) Karsten l. s. s.

[6]) Wagner l. s. s. p. 74. — Herrmanowski l. s. s. p. 35. — Karsten l. s. s.

[7]) Wagner l. s. s. p. 76 sq. — cf. id. in annal. phil. nov. XCI (1865) p. 288 et in Haut. ed. p. 10 n. 5. — Reinhold Klotz: Ter. ed. (1865) praef. p. 13 (cf. p. XI). — Karsten l. s. s.

[8]) Wagner (lib. miscell. l. s. s. p. 74) totum prologum talem esse pronuntiavit, qualem a poeta iam cognito exspectares; Similiter O. Ribbeck (hist. poes. Rom.[2] I p. 159) et Leo (studia Plautina. Berolini 1895 p. 89 n. 3); neque maiorem auctoritatem habent, quae Karsten de vv. 1—4; 3; 24—28 et de vv. 7, 17, 20—23 iudicat. — cf. Leo: Anal. Plaut. l. l. p. 21 adn. — Schanz: Hist. litt. Rom.[2] I p. 77. — Meissner: Andr. ed. p. 22.

II. Nunc eorum argumenta audiamus, qui prologum ad primam actionem referendum esse dicunt:

1. v. 8 „Nunc, quam rem vitio dent, quaeso animum adtendite“. dicit Dziatzko[9]) ita proferri, quasi poeta ad Andriam certe nondum ‚operam abusus sit, qui veteris poetae maledictis respondeat‘. Sed Dziatzko ipse verbis quae addit, confitetur omnem illam offensionem ita tantum sustentari, ut cum Andria primum ageretur, nulla adversariorum mentione facta nostrum prologum primum, quae illi Andriae vitio darent, commemorasse putemus, postquam interea aliarum fabularum prologi eiusdem argumenti antecessissent.

2. Gravissimum autem argumentum inesse dicunt in v. 24 sq.:

„Favete, adeste aequo animo et rem cognoscite,
Ut pernoscatis, ecquid spei sit relicuom“.

Ex quibus colligi debere spectatores „rem“ nondum cognovisse, fabulam igitur aut cum nostro prologo primum actam aut antea exactam fuisse; quod alterum cum statui non possit, nostrum prologum primae esse fabulae primum actae credendum esse. Haec scripsit Dziatzko in dissertatione sua inaugurali (p. 1 n. 1) posteaque confirmavit[10]) dicens poetam vv. 24—27 a spectatoribus petere, ut hanc fabulam spectarent, ut quales fabulas a se posteris temporibus exspectare possent, intellegerent; neque vero eum id petere potuisse, si fabula iam acta fuisset; hoc enim si factum esset, eum ad plausum et clamorem, quibus fabulam iam prosecuti essent, respecturum fuisse.[11])

3. Nam quod Fabia (l. s. s.) dicit poetam v. 18 sqq. spectatoribus se commendare voluisse ut Plauti, Naevi, Enni aemulum, facillime dissolvitur. Non prius enim Terentius ad hos provocare potuit, quam adversarii crimen contaminationis ei obiecerunt. Excusantis igitur, non se commendantis haec verba sunt.

Hi igitur sunt omnes, quantum video, loci, quibus usi hanc illam sententiam viri docti probaverunt. Nonne miraris hos locos inter se plane diversos et contraria ipsa comprobantes in uno eodemque prologo inesse? Ego vero nego omnia, quae pro certissimis viri docti venditaverunt, certissima esse. Examinemus igitur singula argumenta; atque primum ea, quibus priorem sententiam confirmari viri docti putaverunt, deinde ea, quibus ipsum contrarium probari videtur.

---

[9]) diss. inaug. p. 1 n. 1.

[10]) Mus. Rhen. nov. XX (1865) p. 579 sq.

[11]) Paeckelmann l. s. s. p. 15 sqq. — O. Brugmann: annal. phil. nov. CXIII (1876) p. 417. — Wagner in Bursiani relationibus annal. III (1874/5) p. 804, 808. — Dziatzko in Phorm. ed² (1885) p. 12. — Fabia l. s. s. p. 31 sq. — Fr. Schoell in Mus. Rhen. nov. vol. LVII (1902) p. 49 adn. 2.

Tria priora argumenta viri docti sumpserunt ex primis septem versibus, de quibus supra (cf. p. 9 sq.) accurate egimus, ubi intelleximus nihil aliud ex eis effici nisi, ut Andriae prologus omnium Terenti prologorum primus sit. Quae cum ita sint, apparet

1. pluralem „in prologis scribundis“ generaliter dictum esse, non de prologis antea pronuntiatis. Quamobrem illam, quam Theodor Benfeius[12]) habet, sententiam amplectimur, qui monet plurativum numerum de rebus molestis atque ingratis in usu esse.[13]) Hoc enim huic toti sententiae optime convenit. Terentius enim prologos fabulis, quas facturus esset, omnino non praemittere sibi proposuerat, quamobrem ea, quae ad fabulam intellegendam opus sunt, in primis ipsarum fabularum scaenis enarrat.[14]) Adversariorum autem malevolorum insimulationibus[15]) prologos quoque scribere cogitur. Invitus igitur atque Lusci conviciis coactus Terentius Andriae prologum scripsit. Cumque intellegat spem se fefellisse adversariosque sibi maledicere non desituros esse, poetam irasci quis miratur? Pluralis igitur numerus nulli offensioni est, id quod ne eis quidem refutatur, quae Karsten[16]) dicit: „neminem admissurum esse abusum numeri pluralis istius modi, ut omnis tollatur numerorum diversitas.“ Quomodo tollatur? Quis tandem dixit numerum pluralem omnibus locis pro singulari exstare posse? Neque vero, quia illis locis, quos vir doctus affert,[17]) singularis numerus „prologus“ exstat idque suo loco, idcirco singularis omnibus locis ponendus est.

2. Quin ne illud quidem cogitari potest ullam Terenti fabulam ante Andriae prologum actam esse. Cum enim omnium fabularum Hecyra excepta eos prologos habeamus, qui ad primas harum fabularum actiones spectant, cumque hi omnes prologi post Andriae prologum compositi sint, sequitur, ut omnes ceterae Terenti fabulae post eam Andriae actionem, ad quam prologus pertinet, actae sint. Ne Hecyrae quidem primam actionem ante hanc Andriae actionem factam esse probabile

---

[12]) Benfeii sententiam cognovi ex Wagneri commentatione: ‚De Andriae prologo‘ (Lib. miscell. p. 76) aliunde. — cf. Greifeld l. l. p. 24.

[13]) Minus probabilis est Dziatzkonis sententia, qui (diss. inaug. p. 2 n. 1) pluralem ‚ad superlationem quandam veritatis in quovis dicendi genere tritissimam‘ refert. — cf. Paeckelmann l. l. p. 12.

[14]) cf. supra p. 10 adn. 18. — [15]) cf. infra p. 53 sq. et part. II cap. I extr.

[16]) l. s. s. p. 187. — Contra viro docto concedo ea, quae Benfeius et O. Brugmannus l. s. s. praeterea afferunt, nihil valere. — cf. etiam Fr. Schoell. l. s. s.

[17]) Heaut. prol. v. 11. — Hec. v. 11. — Phorm. v. 13. sq.

esse vidimus (p. 12), quod Heautontimorumenos continuo post Hecyram (I) acta est. Nulla igitur alia fabula ante eam Andriae actionem, ad quam prologus spectat, acta esse potest. Hoc autem prorsus alienum esse videtur ab his prologi verbis (v. 3): „quas fecisset fabulas". At sententia examinanda est, non singula verba. Dicit autem poeta, ut supra (p. 9 sq.) vidimus, fere haec: „Cum primum ad fabulas scribendas accessi, id solum agendum mihi esse credidi, ut eae fabulae, quas in posterum facturus fuissem, populo placerent." Pluralis igitur numerus ad eas fabulas referendus est, quas facere Terentius tum consilium ceperat, non ad fabulas iam factas et actas.[18])

3. Neque plus ex Terenti verbis „qui malivoli
Veteris poetae maledictis respondeat."

concludi potest. Id unum Karsten[19]) recte dicit Terentium, cum maledictis respondere se dicat, Lusci maledicentiam usu expertum esse necesse esse. Id autem, quod addit, ipse pro dubio habet dicens: „quam exhibuit ille probabiliter in alicuius fabulae prologo post primam Andriae actionem". Sed hac de re dicam alio loco.[20]) Nunc accedamus, si placet, ad quaestionem huic finitimam, de qua est accuratius disputandum.

4. Cum enim Luscius ille Lanuvinus eiusque factio fabulam, antequam reprehenderent, cognitam habuerint necesse sit, quonam modo adversarii Andriam cognoverint, nisi haec antea acta sit, quaeritur. Addunt etiam non intellegi, quid populi interfuerit poetam omnino incognitum reprehendi, cuius ne una quidem fabula antea in scaenam prodierit. Accedit, quod parum est probabile Luscium priusquam prima Terenti fabula acta est, huic maledixisse eiusque fabulam populo nondum notam palam reprehendisse.[21]) Hoc si fecisset, Luscium ipsum putare Terentium sibi strenuum aemulum futurum esse nonne omnes intellexissent? Tali autem modo Luscius certe id ipsum, quod noluit, consecutus esset: populi enim animum, opinor, his praematuris criminationibus ad novum poetam advertisset. Haec omnia, quae si prologum primae actioni attribuimus, nos valde offendunt, si prologum ad posteriorem actionem referimus,

---

[18]) Wagner, qui ad haec verba provocaverat (l. s. s.), sese Dziatzkonis commentatione „de duplici Andriae exitu" (annal. phil. nov. CXIII (1876) p. 235 sqq.) coactum hac sententia destitisse ipse postea confitetur (in Bursiani annal. III p. 804 et 808). — Non recte putat Bosse (‚Quaest. Terent.' Lips. 1874 p. 14) Terentium hunc pluralem, etsi de una fabula Andria diceret, adhibuisse. — cf. Paeckelmannum l. s. s. p. 11.

[19]) l. s. s. p. 186 sq.

[20]) cf. part. II cap. I.

[21]) cf. Greifeld l. l. p. 25.

facillime explicantur. Hoc igitur gravissimo, ut opinor, argumento dilucide demonstrari viris doctis plane assentior prologum ad posteriorem actionem spectare. Neque quicquam ei viri docti, qui ab altera parte stant, etsi studiosissime operam dederunt, invenerunt, quo hae difficultates omnes tollerentur. Quorum in numero Dziatzko, quo pacto iniqui Andriam cognoverint, varie posse explicari in universum primo dixerat,[22]) deinde a Wagnero[23]) invitatus, quibus rationibus hoc fieri potuisset, singillatim exposuit deditque satis largam eligendi copiam.[24]) Quae omnia cum recte refutasse mihi videatur Karstenus (l. s. s. p. 188/9), equidem hac disputatione supersedeo. Contra Fabia putat poetae veteri gregis domino et magistratibus valde familiari licuisse illi interesse actioni, quae magistratibus praesentibus ante publicam fabulae actionem fieri solebat privatim. Certe, fabulae docendae causa tales actiones, quales in Eunuchi prologo memorantur, ante Andriae quoque primam actionem instituebantur.[25]) Sed Luscio licuisse semper illis interesse ex Eunuchi prologo minime efficitur. Immo, vel inde, quod Terentius omnino huius rei mentionem facit in Eunuchi prologo, apparet hoc ab usu et consuetudine prorsus alienum fuisse.[26]) At interfuerit Luscius, ne ea quidem re id, quod Fabia voluit, probabile fiet: etenim hoc si factum esset, Luscius solus fabulam cognovisset, non populus. Deinde Luscio minime licuisse omnes fabulas, quas histriones acturi erant, ‚inspicere‘ satis elucet ex ipsis verbis, quibus poeta in Eunuchi prologo utitur. Dicit enim haec (v. 20): „postquam aediles emerunt, Perfecit sibi ut inspiciundi esset copia“. Nempe verbo ‚perfecit‘ indicatur labore magno magnaque opera opus fuisse. Quamobrem Donatus recte ad hunc locum adnotat: „mire, quasi difficile et illicitum“.[27]) Ne id quidem verisimile est, quod Fabia l. s. s. statuit, Terentium ipsum de fabula sua ex duabus Graecis commixta coram eis, qui cum Luscio consuetudine atque ami-

---

[22]) diss. inaug. (1863) p. 2 n. 1.

[23]) lib. miscell. (1864) p. 76 n. 9.

[24]) Mus. Rhen. nov. XX. (1865) p. 579 sq., cui vehementer adstipulatur Paeckelmannus l. s. s. p. 13 sq. — Eodem modo A. Greifeld l. s. s. p. 25.

[25]) Hac de re recte Ritschelius in Parerg. I p. 328 sq. (Perperam Wagner in libro miscell. p. 76). — Ribbeck: „Die Röm. Tragödie“ (Lips. 1875) p. 669.

[26]) cf. Herrmanowski l. l. p. 35.

[27]) Eandem vim habet ‚perficere‘ in Hec. prol II v. 12: „Perfeci ut spectarentur“, ad quem locum Donatus addit: „Attende, quantum pondus habeat, quod non ‚feci‘ dixit, sed potius ‚perfeci‘, ut molem difficultatis ostenderet“.

citia coniuncti erant, gloriatum esse. Nihil igitur inveniri posse videmus, quo eae difficultates, quae si prologum ad primam Andriae actionem referimus, valde nos offendunt, explicari tollique possint. Quae cum ita sint, facere non possumus, quin prologum ad posteriorem actionem referamus.

5. Postremo versibus huius prologi ultimis viri docti usi sunt (v. 24 sqq.):

„Favete, adeste aequo animo et rem cognoscite,
Ut pernoscatis, ecquid spei sit relicuom,
Posthac quas faciet de integro comoedias,
Spectandae an exigendae sint vobis prius".[28])

In quibus duos locos tractarunt; unum, quo legitur: „de integro"; deinde versum: „spectandae an exigendae sint vobis prius."

Primum igitur, quid sibi velit „de integro", quaeritur. Iam Donatus rogat: „utrum denuo an ex integris Graecis?".[29]) Utraque interpretatio iterum iterumque a viris doctis prolata est. Tali modo autem controversia non tollitur. Quaerendum enim est, utrum vox illa hanc utramque vim habere omnino possit necne. Prius si statuimus, hic locus, quippe quo utraque fulciri possit, omnino hac in quaestione diiudicanda omittendus est. Sin autem alterum statuimus, eo quod vocem illam tantum unam significationem habere posse videmus, controversia omnino non est.

‚De integro' persaepe idem esse atque „denuo" in propatulo est neque eius usus opus erit afferre exempla.[30]) Dixerit quispiam hanc significationem ab hoc loco alienam esse, cum verbum ‚posthac' quod eodem versu legitur, plane eandem vim atque illud ‚de integro' praebeat. Neque vero haec ταὐτολογία hoc loco multum valet, cum alterum ad sententiam interrogativam („posthac spectandae an exigendae sint"), alterum ad relativam („quas de integro faciet comoedias") referendum sit. Praeterea non desunt loci, quibus Romani idem temporis momentum ut quam accuratissime figant, duabus eiusdem fere notionis vocibus significant, id quod sermonis cotidiani proprium fuisse videtur.[31])

---

[28]) Quam diversas significationes his eisdem verbis viri docti attribuerint, ut suam quisque sententiam fulciret, expositum est supra p. 24 adn. 50.

[29]) Ab hac sententia plane sunt diversa, quae Eugraphius adnotat, quaeque idem significare atque Donati interpretationem et Wagnerus et Paeckelmannus putavit: „deintegro, cum unam Graecam in unam Latinam transtulerit"; putat igitur Eugraphius ‚deintegro' esse „non contaminatam".

[30]) cf. Drakenborch (ap. Grauert. l. l. p. 15) et Paeckelmann l. l. p. 20 sqq.

[31]) Similia exempla sunt multa. cf. Casinae prol. v. 33: „postid rursum denuo Latine Plautus cum latranti nomine"; Poen. prol. v. 79: „revortor rursus denuo Carthaginem", ad quem locum quid Casaubonus dixerit,

Cum igitur ,de integro' hoc quoque loco idem significare posse atque ,denuo' negari nequeat, utut de altera significatione iudicas, unum pro certissimo habendum est minime licere ex hoc loco necessario concludere prologum ad posteriorem actionem pertinere. Sed altera illa significatio quomodo se habeat, videamus. Ratiocinantur autem ei viri docti,[32]) qui prologum ad posteriorem actionem spectare ex hoc loco apparere putant, ita: „,de integro' idem esse atque ,ex integris Graecis' h. e. ex comoediis Graecis neque tactis neque versis. Si autem Terentius eiusmodi fabulam primus verterit, hanc spectatoribus Romanis novam esse. ,De integro' igitur idem esse atque ,novas'. His autem verbis novas fabulas, quas se facturum esse Terentius dicit, opponi Andriae fabulae, unde Andriam tum iterum, non primum agi appareat. Quae argumentatio minime probanda est. Ego enim dubito, possitne omnino ,de integro' eam, quam Donato auctore nullo exemplo allato Wagner (l. s. s) probat, significationem habere. Dicit enim Terentius ,de integro', non ,ex integris Graecis'. Sed sit ,de integro' hoc loco idem atque ,ex integris Graecis', tamen ,ex integris Graecis' minime idem est atque ,novas comoedias'. Eam enim solam fabulam novam appellari supra vidimus,[33]) quae non modo ex fabula Graeca a nullo antea comico Latino conversa expressa est (= ex integra Graeca), sed etiam primum apud spectatores data est. Ea igitur fabula, quae ex integra Graeca conversa est, quotienscumque agebatur, hanc notam semper retinebat. Hoc cum ita sit, si ,de integro' idem esset atque ,ex integris fabulis', Terentius diceret eam fabulam Graecam, ex qua Andriam suam fecisset, ab alio vel aliis comicis Latinis antea conversam esse, se autem posteris temporibus eas fabulas Graecas expressurum esse, quae nondum ad illud tempus ab ullo comico Latino conversae essent.[34]) Haec

---

legas apud Naudetum: Plauti com. ed. Parisiis 1832 vol. III p. 10. Huc referendum est ,etiam quoque' (cf. Handii Tursellinus. Lips. 1832 vol. II p. 557 sq.), ,rursus denuo' (cf. Handium II p. 279, qui egregie dicit hanc esse abundantiam familiaris sermonis), ,deinde tum' (cf. Hand. II p. 242, qui hoc loco eos locos collegit, quibus ,deinde' coniungitur cum verbis ,tum, tunc, postea, post, porro, mox, postremo, ad extremum, deinceps, igitur').

[32]) Herrmanowski l. s. s. p. 36. — Wagner l. s. s. p. 78 sq. — cf. Karsten l. l. p. 220.

[33]) cf. supra p. 8 adn. 13.

[34]) Hanc interpretationem Nencini (l. s. s. p. 22 sq.) defendit. Putabat enim Terentium eandem fabulam Graecam ,Andriam' convertisse, quam antea Caecilius in sua Andria convertisset. Sed primum de Caecili Andria a viris doctis, imprimis a Ritschelio (Parerg. I p. 133 adn. — cf. quoque Ribbeck: Comic. Rom. frgta.[3] p. 41) valde dubitatur; deinde ,de integro', si idem est atque ,ex integra Graeca', spectatoresne quid Terentius dixerit,

autem verba cum poeta non minus in prologo ad Andriae primam actionem pertinentem dicere potuerit quam in posterioris actionis prologo, inde omnino nihil concludi potest.

Deinde ad versum 27 viri docti provocaverunt:

„Spectandae an exigendae sint vobis prius".

Quae verba Karstenus (l. s. s. p. 220) cum Drakenborchio[35]) ita interpretatur: „debet igitur populus pernoscere ex hac fabula, utrum novae, quas faciet, in posterum spectandae sint an exigendae prius quam spectentur", id quod intellegi non possit nisi, „si prologus recitatus est in altera fabulae actione, immo tunc haec aptissima sunt et continent obiurgationem prorsus dignam et lepidam spectatorum, qui in prima Hecyrae actione id commiserant, quod ironice perstringitur, ut exigerent fabulam, antequam spectarent aut cognoscerent (Hec. prol. v. 3)". Hoc cum ita sit, putat vir doctus ‚spectare' hoc loco significare non posse ‚probare' neque ‚prius' idem esse atque ‚potius'. At cum Hecyra tribus annis ante (ex sententia Karsteniana) exclusa sit, vix credi potest spectatores hanc Terenti „ironiam" percepisse, praesertim cum Romae non raro factum esse videatur, ut fabulae exigerentur priusquam ad finem spectarentur, id quod statim ostendam. Deinde viri docti interpretatio verborum et ‚prius' et ‚spectandae' nimis artificiosa esse mihi videtur. ‚Prius' enim persaepe nihil aliud significare nisi ‚potius' ne Karstenus quidem negabit. Quae exempla afferre non opus est. Neque est, cur hoc loco ‚prius' solam temporis rationem indicare debeat. ‚Spectare' autem per se minime idem esse atque ‚probare' concedendum

---

ex hoc solo verbo ‚de integro' animis percepturi fuerint, equidem dubito. Et licet perceperint, num potest cogitari Terentium ultro confessum esse se suam primam fabulam, qua sese commendari vehementer cupiebat, Caecili fabula eiusdem nominis adhibita confecisse? — At si Terentius Caecili fabulam in suam rem converterat, curnam Luscius ei non obiecit, quod furtum commisisset? Nencini dicit Luscium suspicari minime potuisse Terentium in ea fabula, quam Caecilius ‚magna cum admiratione' legisset, ipsum in Caecilium furtum commisisse. Praeterea Caecilius cum viveret, non tam furtum quam auxilium amicorum Terentio crimini dandum fuisse: huc spectare Heaut. prol. vv. 22/24. Sed primum Hieronymi testimonio evincitur Caecilium a. 168 a. Chr. mortuum esse (cf. Hauler: Phorm. ed.[4] p. 15 n. 3 et 4). Terentius igitur auxilio Caecili uti non potuit, furtum igitur commisit. Tum quod Luscium hoc suspicari potuisse Nencini negat: constat ex Andriae prologi vv. 16—21 Luscium Andriam Terenti accuratissime cognitam habuisse. An censemus eum, qui primo obtutu intellexit Terentium Andriam suam ex duabus fabulis Graecis iisque inter se simillimis confecisse, eundem non animadvertisse Terentium Caecili Andria usum esse, praesertim cum Terentius eundem titulum atque Caecilius fabulae suae dederit? Parum igitur probabilis est Nencinii sententia.

[35]) Apud Grauertum l. s. s. p. 16.

est et apparet ex Hec. prol. II v. 4:

„Novas qui exactas feci ut inveterascerent . . .
(v. 12) Perfeci ut spectarentur: ubi sunt cognitae,
Placitae sunt.“ (= probatae sunt).

Aliud igitur est ‚spectari‘, aliud ‚placere‘. Sed conferas eiusdem prologi hos versus:

(4.) „Novas qui exactas feci ut inveterascerent . . .
(7.) Partim sum earum exactus, partim vix steti.
(10.) Easdem agere coepi.
(12.) Perfeci ut spectarentur: ubi sunt cognitae,
(13.) Placitae sunt.“

Ex quibus apparet: I, Romae persaepe factum esse, ut fabulae exigerentur. II, ‚spectarentur‘ hoc loco positum esse pro ‚usque ad finem spectarentur‘. Illae igitur fabulae exactae omnino non ad finem spectatae erant. Sequitur igitur, ut spectatores, si comoedia displicebat, strepitu et clamore actores loquentes interruperint et impediverint, ne fabula ad finem ageretur.[86]) Quae cum ita sint, verba ‚fabulam spectare‘ h. e. ‚usque ad finem spectare‘ paene idem est atque ‚fabulam probare‘. Accedit, quod hoc loco ‚spectandae‘ opponitur fabulis ‚exigendis‘. Quam ob causam suo iure omnes, quantum video, interpretes Donatum secuti ‚spectandae‘ explicant verbo ‚probandae‘. Sequitur ergo, ut Terentius, etiamsi fortunam scaenicam dubiam esse ipse nondum usu didicerat, tamen haec verba dicere potuerit. Itaque ne ob hunc quidem locum Andriae prologum post Hecyram primum exactam h. e. ad posteriorem Andriae actionem compositum esse necesse est.

His dictis omnes eos locos, quibus freti viri docti hunc prologum posteriori actioni attribuerunt, examinavimus atque ex his omnibus argumentis unum illud (cf. p. 45 sqq.) tantum valere intelleximus: quo satis demonstratur prologum posteriori actioni attribuendum esse.

---

[86]) Idem dicit Drakenborchius l. s. s. (ad v. 27) et apparet ex Phorm. prol. v. 32: „Quom per tumultum noster grex motus locost“, et ex Hec. prol. II v. 25 sqq:

„Quom primum eam agere coepi, pugilum gloria,
[Funambuli eodem accessit expectatio]
Comitum conventus, strepitus, clamor mulierum
Fecere ut ante tempus exirem foras.“

et v. 34: „Ego interea meum non potui tutari locum“. Hac re id quoque explicatur, quod poeta in omnibus fere prologis a spectatoribus perspicuis verbis silentium expetit (cf. supra p. 21 sq.). — Nimium igitur dicit poeta in Hec. prol. I v. 1 sq. (Dziatzko): „Hecyra quom datast
Nova, ei novom intervenit vitium et calamitas.“

Huic vero sententiae vehementer repugnare videtur is locus, quem viri docti, qui ab altera parte stant, ut suam sententiam probarent, attulerunt. Ex verbis enim (v. 24): „Et rem cognoscite“ colligere licere dicit Dziatzko (l. s. s.) spectatores „rem“ nondum cognovisse, fabulam igitur aut cum nostro prologo primum actam aut antea exactam fuisse. Hoc alterum si statuamus, nullo modo fieri potuisse, quin poeta uno certe id verbo indicaret. Praeterea Phormionis prologi v. 31 sqq. poetam unius tantum exactae fabulae (Hecyrae) mentionem facere, ut nostrum prologum primae esse fabulae primum actae confidenter credamus. Parum probabile esse ego quoque arbitror, si prima Terenti fabula cum primum ageretur, exacta esset, antiquos testes hac de re tacuisse. Hoc igitur ab omni verisimilitudine alienum est neque quisquam fere umquam negavit Andriam, cum primum ageretur, stetisse.[87])

Qui locus cum gravissimo testimonio esse videatur, attente quaeris, quonam modo alterius sententiae sectatores hunc locum explicaverint, qui ipsorum opinioni aperte repugnet. Frustra vereor ne quaeras. Fere omnes enim viri docti hunc locum, quo eorum sententia valde concutitur, omnino non commemorant, quasi illa difficultas eo, quod non memoratur, etiam tollatur. Wagnerus (l. s. s. p. 77) primus hoc ‚rem cognoscite‘ explicare conatus est: ait Andriam iam fuisse actam et cognitam; aliam igitur interpretationem admittendam esse: ‚nunc id facite, quod nuper (i. e. ‚cum Hecyra primum ageretur‘) non fecistis, primum rem cognoscite, deinde iudicate‘. Hoc ferri nequire ostendit Paeckelmannus (l. s. s. p. 16 sq.); praeterea vel ob eam rem hoc probandum non est, quod inter Hecyram et Heautontimorumenon nullam fabulam a Terentio in scaenam prolatam esse constat. Post Wagnerum Herrmanowski (l. s. s. p. 35 sq.) et A. Spengel[88]) locum recte mea sententia interpretati sunt. Duo enim nobis sunt quaerenda: unum, quid significet ‚res‘; alterum, quid significet ‚cognoscere‘.

I. Rem idem esse atque ‚fabulam‘ Dziatzko censet neque hanc sententiam veram esse posse negandum est.[89]) Neque tamen haec interpretatio una omnium necessaria est. Etenim in v. 8 poeta incipit:

[87]) Negavit solus Reinhold Klotzius in Andr. edit. (1865) praef. p. 13 (cf. p. XI).

[88]) v. Andr. edit. (Berolini 1875) adn. ad v. 24. — Ita iam Drakenborchius (apud Grauertum l. l. p. 15).

[89]) cf. Asin. prol. v. 13:

„Inest lepos ludusque in hac comoedia:
Ridicula res est: Date benigne operam mihi“.

„Nunc, quam rem vitio dent, quaeso animum adtendite". Quo loco res est ‚contaminatio'. Itaque illo quoque loco res significare potest ‚contaminatio' vel ‚controversia de contaminatione'.

II. Deinde quaeritur, quae vis subiecta sit voci ‚cognoscere'. ‚Cognoscere' verbum de ea re dici posse, de qua Dziatzko illud vult intellegi, rem dico quam adhuc omnino nescivimus, in promptu est.[40]) Sed idem verbum de iudice quoque dicitur, cuius est aliquam rem, de qua diverso modo iudicari potest, cognoscere h. e. examinare et diiudicare; veluti Seneca dicit in Medea v. 194: „Si iudicas, cognosce (h. e. prüfe), si regnas, iube".

Clarius Cicero in Verr. II 48, 118: „..ut...de rebus ab isto cognitis iudicatisque et de iudiciis datis dicere desistamus". Haec vis verbi istius optime intellegitur eis locis, quibus cognoscere cum praepositione ‚de' coniungitur; veluti Cicero in Verr. I 10, 27: „hac de re ostendit se ipsum cogniturum" et ibidem II 7, 19: „statim Messana litteras Halaesam mittit (...), ut Halaesinus ad se Dio continuo veniret; se de hereditate velle cognoscere . . .". Quibus locis omnibus ‚cognoscere' significat ‚iudicium facere de aliqua re'. Quae significatio, cum et Plautus et Terentius spectatores persaepe iudices faciat in prologis,[41]) hoc quoque loco aptissima est. „Cognoscite rem" igitur oportet interpretemur: „Examinate contaminationem et diiudicate hanc controversiam", quae verba nil obstat quominus Terentium in posterioris actionis prologo dixisse arbitremur.

Neque miramur, quod Terentius hac potissimum voce utitur; dicit enim hoc loco (v. 23 sqq): „ . . . malefacta ne noscant sua.
Favete, adeste aequo animo et rem cognoscite,
Ut pernoscatis" etc.,[42])
quibus in verbis elegans est gradatio. Optime autem tertio loco convenit: „pernoscatis" h. e. accuratissime cognoscatis, ne umquam in posterum fallamini.[43])

---

[40]) cf. Casinae prol. v. 16: „Verum ut cognoscant, dabimus operam sedulo".

[41]) Adelph. prol. v. 4: „Indicio de se ipse erit, vos eritis iudices".
Eun. prol. v. 29: „Id ita esse vos iam iudicare poteritis."
Heaut. prol. v. 12: „Vostrum iudicium fecit, me actorem dedit."
Capt. prol. v. 67: „Abeo. Valete, iudices iustissimi".
cf. Fabiam l. s. s. p. 283 sq.

[42]) Aliis quoque locis complura verba composita verbi ‚nosco' Terentius inter se coniungit; cf. Eun. prol. vv. 42/45. — Heaut. v. 218 (= II, 1, 6). — cf. Leo l. s. s. p. 15 sqq.

[43]) Similiter hoc verbum Terentius eleganter sciteque usurpavit in Eun. prol. exitu:
‚Ut pernoscatis, quid sibi Eunuchus velit',
quippe quam in fabulam adversarii vehementer invecti essent. — cf. Adelph. prol. v. 12. —

Iam ea quae adhuc enarravimus, complectamur, ut quidnam de hoc prologo iudicandum sit, intellegamus. Apparuit nimirum:

I. a) nullum omnino locum exstare, ex quo necessario efficiatur, ut prologus ad primam fabulae actionem pertineat.

b) vv. 8—21 intellegi non posse, nisi si fabula antea et iniquis Terenti et toti populo nota fuerit. Sequi igitur, ut prologus ad posteriorem actionem spectet.

II. Haec posterior actio quo anno fuerit, ex ipso Andriae prologo apparere mihi videtur:

1. Prologum Andriae primum omnino Terenti prologum esse collegimus et ex prologi vv. 1—7 et ex prologi vv. 22 et 23 et ex omnibus Terenti prologis inter se collatis.

2. Sequitur igitur, ut Andriae prologus ante Heautontimorumeni prologum et, cum inter Hecyram (I) et Heautontimorumenon nulla Terenti fabula acta sit, etiam ante Hecyrae primam actionem compositus sit.

3. Hoc cum appareat, sequitur, ut posterior Andriae actio ante Hecyram (I) h. e. ante Aprilem anni 165 a. Chr. fuerit. Sed cum ante Aprilem Romae ludi non fuerint, efficitur illam eodem anno (166 a. Chr.) atque primam Andriae actionem fuisse: nempe iterum actam esse Andriam probabile est anno 166 ludis Romanis.

His expositis quid Terentio anno 166 accidisse putem, breviter exponam: Terentius Aprili anni 166 Andriam, primam fabulam suam, in scaenam protulit nullo, ut sibi proposuerat, prologo addito. Andria stetit. Ob ipsam hanc rem poeta vetus eiusque asseclae, ut poetam novum, cuius statim prima fabula placuerat, a scribendo deterrerent, impetus in eum fecerunt eiusque fabulam vituperaverunt, quod e duabus fabulis Graecis contaminatis conflata esset. Verum istae criminationes, quippe quae a poeta vetere a populo iamdudum cognito factae sparsaeque essent, poetae novo periculum offerebant haud mediocre. Quas ut reiceret, Terentius occasione data se defendere cupiebat. Simul eius intererat scire, quid de contaminatione populus iudicaturus esset. Qua de causa perfecit, ut eodem anno Andria iterum ageretur, et tum praemisit fabulae eum, quem habemus, prologum, quo et blanda et eleganti adulatione usus dixit, cum primum de fabulis scribendis cogitavisset, id solum sibi spectandum esse sese credidisse, ut fabulae populo placerent, sed cum iniqui se aggressi essent propter fabulas contaminatas, se intellegere prologum sibi scribendum esse, quo se defenderet ad Naevium, Plautum, Ennium provocans. Denique blande et docte rogat spectatores, ut faveant, adsint aequo animo et illam

contaminationis controversiam diiudicent, ut pernoscant,[44]) ecquid spei sibi sit relicuom etc. Non igitur rogat, ut hanc unam Andriam probent, quippe quam paulo ante probaverint. Neque vero tum spectatores sciverant fabulam contaminatam esse. Nunc igitur petit, ut spectatores diiudicent, liceatne omnino fabulam contaminare.

Ita si prologus percipitur, optime me iudice convenit ei tempori, quo poeta fabulas scribere modo coeperat.

Caput V: **Appendix critica.**

§ 1. **De Heautontimorumeni prologi versibus 48/50 et Hecyrae prologi alterius versibus 41—43.**

In Heautontimorumeni prologo legimus hos versus (48—50):

„Si numquam avare pretium statui arti meae
Et eum esse quaestum in animum induxi maxumum,
Quam maxume servire vostris commodis."

Eidem versus leguntur in Hecyrae prologo altero (vv. 41/43). Quos versus cum utroque loco appareat admitti non posse, quaeritur, utro loco sint genuini.

Primum videmus omnes codices praeter Bembinum hos tres versus utroque loco exhibere; codicem Bembinum (A) tres versus solum in Hecyrae prologo praebere, contra Heautontimorumeni loco tertium tantum horum versuum. Cum vero tertius versus duobus prioribus omissis sensu careat, hoc loco in codice A illos duos versus per errorem librarii omissos esse manifestum est.

Deinde Donatum hos versus in Hecyrae prologo legisse ex eius commentario licet statuere; qui cum ad Heautontimorumenon non servatus sit, legeritne Donatus hos versus in hoc quoque prologo, nescimus.[1]) Neque enim quicquam, opinor, Donati verbis probatur, qui adnotat ad Eun. prol. v. 1: „attendenda poetae copia, quod in tot prologis ab eadem causa, eisdem fere sententiis, variis verbis utitur".

Itaque cum desint testimonia antiqua, utro loco hi versus ad sententiarum seriem aptiores sint, demonstrandum est.

Heautontimorumeni prologi vv. 1—34 Ambivius de poeta

---

[44]) Attendendum est poetam dicere (v. 24 sq.): „Rem cognoscite, ut pernoscatis, ecquid spei sit relicuom";
Rursus igitur blandimentis utitur, dum spectatores iudices facit.

[1]) Eugraphius hos versus solum in Hecyrae prologo legisse videtur (cf. Terenti edit. Reinh. Klotzii [Lips. 1838/40] II p. 342 ad v. 39).

eiusque rebus, a v. 35 de se ipse loquitur. Petit a spectatoribus, ut hanc fabulam silentio spectent, ut sibi liceat statariam agere. Etenim ceteras fabulas plerumque motorias esse, ita ut sibi partes servi currentis, irati senis, similes agendae sint. Sua ipsius igitur causa sese hoc petere a spectatoribus, non a poetis, quippe qui sibi solas fabulas laboriosas deferant. Sequentibus versibus (v. 48 sqq.), quo iure ad spectatores se vertat, exponit: numquam sese id spectasse, ut ipse quam maximum lucrum caperet, sed omnibus temporibus voluisse servire spectatorum commodis. Hoc cum ita sit, sibi faveant vel eo consilio, ut alii actores adulescentuli, qui populi commodis neglectis suum lucrum quaerant, successum fortunamque scaenicam penes spectatores esse intellegant.

Omnibus igitur his versibus Ambivius de se loquitur deque suo actoris officio atque labore; quem laborem ut minuant, spectatores orat. Etenim se ipsum nihil curasse nisi eorum commoda neque umquam id fecisse, quod alii actores faciant, qui suum ipsorum quaestum sectentur. Sermonis sensus est perspicuus et dilucidus. Ex vv. 51/2, quibus de aliis verba facit, qui sibi placere malunt quam populo, necessario efficitur, ut Ambivius se populo magis servire studere quam sibi antea dixerit. Quod re vera versibus illis, de quibus agitur, 48/50 factum est. Hi igitur versus non modo ab hoc loco non abhorrent, sed etiam ad vv. 51 et 52 recte percipiendos necessarii sunt.

Contra in Hecyrae prologo hi versus etsi ferri possunt, tamen ad contextum rerum ac verborum minime necessarii sunt. Neque Amdohrius,[2]) qui versus huic prologo attribuendos esse probare studet, quicquam argumenti profert; dicit enim nihil nisi haec: „versus cur minus in hunc prologum quadrare videantur, non habeo dicere".

Accedit hoc alterum: Terentium in prologis scribendis figuris rhetoricis uberrime usum esse Leo[3]) nuper ostendit. Legas autem quaeso Heaut. prol. vv. 48—52:

„Si numquam avare pretium statui arti meae
Et eum esse quaestum in animum induxi maxumum,
Quam maxume *servire vostris commodis:*
Exemplum statuite in me, ut adulescentuli
Vobis placere studeant potius quam sibi".

Has duas figuras, si illos versus hoc ex loco eieceris, perdes. Contra legas illis versibus omissis Hec. prol. vv. 38—40, 44:

[2]) diss. inaug. p. 19 sqq.
[3]) Anal. Plaut. II p. 15 sqq.

„Nolite sinere per vos artem musicam
Recidere ad paucos: facite ut vostra auctoritas
Meae auctoritati fautrix adiutrixque sit.
Sinite impetrare me, qui in tutellam meam" sq.

Tantum igitur abest, ut si illa verba retinueris, nova quaedam figura appareat, ut illis insertis adnominatio („nolite sinere" — „sinite") prorsus infirmetur.

Quibus causis commotus hos versus solum in Heautontimorumeni prol. legendos esse contra plerosque viros[4]) doctos censeo.

§ 2. De Heautontimorumeni prologi versu sexto.

In Heautontimorumeni prologo legitur hic versus (6):

„Duplex quae ex argumento facta est simplici".

Qui locus est conclamatissimus inter viros doctos. Duo enim sunt, quibus iterum iterumque viri docti sollicitentur: scilicet sitne omnino versus iste genuinus, dubitant nec quomodo versus sit legendus, possunt expedire.

Primus W. Ihne[5]) versum Terentio indignum esse censuit atque expunxit. Multi autem exstiterunt eiusdem defensores rationis, sicut Ritschelius,[6]) Fleckeisenus,[7]) Dziatzko,[8]) W. Wagner,[9]) Fabia,[10]) Karsten.[11]) Sed versum cur insiticium esse viri docti putaverint, frustra quaeris. Nam quod Dziatzko et Fabia aiunt versum grammaticorum sapientiam sapere, haec ratio futilis esse mihi videtur. Nullum igitur argumentum viri docti attulerunt, quo probaretur versum spurium esse; versum etiam necessarium esse neque omnino desiderari posse ex versibus sequentibus apparere nuperrime Skutschius[12]) demonstravit. Terentium enim dicere v. 7:

„Novam esse ostendi et quae esset".

---

4) Versus ex Heaut. prol. expulerunt vel uncis secluserunt Wagner in Hautont. edit. (Berolini 1872) et in annal. phil. nov. XIC p. 281 et in omnium Terenti fabb. edit. (Cambridge 1869). — Umpfenbach in Ter. edit. (Berol. 1870). — Fleckeisen in altera Terenti fabb. edit. (Lips. 1898). — Amdohr l. s. s. p. 19 sqq. — Leo quoque in commentatione sua versus Hecyrae prologo attribuit. — Contra versus in Hec. prol. uncis secluserunt Dziatzko in edit. Tauchnitz. (1884; cf. praef. p. XXXIV) et Fleckeisen in priore edit. Teubn. (1857).

5) Ihne in diss. inaug. (thesis 14).

6) Ritschelius in Mus. nov. Rhen. VI (1848) p. 446 et in Parerg. I p. 381 n.

7) Fleckeisen in editionibus Teubn.

8) Dziatzko in diss. inaug. p. 10—11 et in edit. Tauchnitz. praef. p. XXIII.

9) Wagner in annal. philol. nov. 1865 p. 284; in Ter. fabb. edit. (Cambridge 1869); in Hautont. edit. (1872).

10) Fabia l. s. s. p. 18. 11) Karsten l. s. s. p. 196 sq. et 201.

12) Skutschius in Philologi tom. LIX (1900) p. 5 sq.

Duas igitur res se demonstrasse poetam dicere; unam: ‚fabulam novam esse', id quod versu 4 factum esset; alteram „quae esset" h. e. „qualis esset", id quod adhuc non factum esset nisi versu 6. Itaque cum versus 7—9 revera ad Heautontimorumeni prologum pertinere nunc constaret, sequi, ut etiam versus 6 genuinus esset. Quare quoniam versum necessarium esse cognovimus, quonam modo legendus sit, videamus. Proficiscendum est a codicum lectione:

codex A exhibet: „Duplex quae ex argumento facta est duplici" („simplici" corr. manus rec.).

ceteri codd.: „Duplex quae ex argumento facta est simplici".

Neque vero dubium est, quin „duplici", quod prior manus codicis Bembini praebet, ferri non possit, quo violentur praecepta metrica. Qua de causa prorsus sunt reiciendae hae lectiones: et „duplex quae ex argumento facta est duplici" (ut Guyet,[13]) Bipontini,[14]) Donner,[15]) Benfey,[16]) Kampe[17])) et „simplex quae ex argumento facta est duplici" (ut Tanaquil Faber,[18]) Bentley[19])).

Certum igitur est versus exitum verbo „simplici" effici necesse esse. At quinam sit sensus huius versus, quo facilius perspiciamus, a facillimis ordiamur oportet.

Poeta dicit fabulam factam esse ex argumento simplici. Scimus autem fabulas Romanorum palliatas ex fabulis Graecis conversas, non poetarum Latinorum ingenio fictas esse. Perspicuum igitur est hoc loco ‚argumentum' pertinere ad fabulae Graecae argumentum, ita ut „ex argumento simplici facta" idem sit atque „ex fabula Graeca simplici". Quaenam porro fabula Graeca aut est aut appellari potest „simplex"? Vox „simplex" duas significationes habet, aut propriam, ita ut voci „duplex" opponatur, aut translatam, ita ut fere idem sit atque verbum „unus".[20]) Quarum notionum si posteriorem recipimus, sensus verborum „facta ex argumento simplici" h. e. „facta ex una fabula Graeca" maxime perspicuus est. Sed quid sibi velit „duplex", non intellegitur. Sin autem priorem notionem recipimus, neque quae fabula Graeca „simplex", neque quae Latina „duplex" appellata sit, in promptu est. Nec mirum, quod hac de re quid iudicandum sit, viri docti valde inter se dissentiunt.

---

[13]) Guyeti sententiam cognovi ex Fabiae libro p. 18 n. 3.
[14]) cf. Schmiederi edit. 1794 (Halis).
[15]) cf. Venedigerum in annal. nov. philol. CIX (1874) p. 135.
[16]) cf. Venedigerum l. s. s.
[17]) „Die Lustspiele des Terenz und ihre griechischen Originale". Progr. v. Halberstadt 1884.
[18]) cf. Schmiederi edit. [19]) In Bentlei edit. altera Lipsiae 1791.
[20]) cf. Leo: Anal. Plaut. (1898) p. 22 sq.

I. Apud Donatum in Phorm. praef. p. 14 l. 20 R. legimus haec: „argumentum quoque non simplicis negotii habet nec unius adulescentis ut in Hecyra, sed duorum ut in ceteris fabulis.“[21]) et apud Euanthium in Reifferscheidii edit. Euanthi et Donati commenti de comoedia (lib. univ. Vratislav. 1874/75) p. 7 l. 4 sqq.: „Illud etiam inter cetera eius laude dignum videtur, quod locupletiora argumenta ex duplicibus negotiis delegerit ad scribendum. Nam excepta Hecyra, in qua unius Pamphili amor est, ceterae quinque binos adulescentulos habent.“ Horum grammaticorum doctrina accepta Nannius, quem Schmieder in editione sua sequitur, versum explicat ita: „et apud Menandrum omnia simplicia fuisse, unum senem, iuvenem, amicam, servum; a Terentio vero has personas duplices esse factas“. Idem fere dicit Westerhovius.[22]) Sed primum qua ratione usus Terentius has personas duplices fecerit, non dicunt. Deinde quaero, quemnam spectatorum haec verba ita intellexisse viri docti putent; hac in re Dziatzko verum intellexit negans hanc obscuram sententiam, qualem apud grammaticos legamus, posse Terenti fuisse.

Ob eandem rem Leonis (l. s. s. p. 22) sententia displicet. Etenim hic quoque vir doctus comoediam duplicem appellari putat propterea, quod duorum adulescentium negotia complectatur. Quin illa obscuritas, quam in verbo „duplex“ esse vidimus, si Leonem sequimur, eo augetur, quod ‚simplex‘ pro ‚uno‘ positum esse censet, id quod hoc versu, quo ‚duplex‘ multo alio sensu praeditum usurpari vir doctus statuit, sane ferri nequit. Neque est credibile figurae et elocutionis venustatis causa poetam ad tantam obscuritatem accessurum fuisse.

Neque magis placet Fr. Schoelli opinio, quam M. Schanz (hist. litt. Rom. [2]I p. 81) attulit atque recepit: „Das Argumentum ist simplex, aber die Durchführung desselben verschlungen. Die fabula ist durch die Kunst des Dichters eine πολύτροπος trotz des einfachen Stoffes“. Neque vero vox ‚duplex‘ his verbis explicatur. Praeterea si fabula πολύτροπος est, argumentum fabulae (h. e. id, quod in fabula agitur) eodem modo πολίτροπον esse ego quidem arbitror.[23])

---

[21]) Similiter Donatus ad Andriae II 1 v. 1: „In hoc colloquio altera pars ostenditur fabulae, si quidem Andria ex duorum adolescentium periculis gaudiisque componitur, cum fere solam Hecyram Terentius ex unius comoedia adolescentis effecerit“. Alios locos cf. apud Nencinium l. s. s. p. 66 sq.

[22]) Westerhov-Stallbaum: Ter. fabb. ed. (1830/1) III p. 8 ad h. v.

[23]) Sententiam suam defendit Fr. Schoell in Mus. Rhen. nov. LVII (1902) p. 48 sq. allatis aliis locis, quibus „duplex“ eodem modo atque Graecum „διπλοῦς“ significaret „πολύτροπος.“ Quae significatio translata ab hoc loco abhorret vel ob eam rem, quod ‚duplex‘ voci ‚simplex‘ opponitur.

II. Nunc accedamus, si placet, ad eorum virorum doctorum sententiam, qui poetam se hanc fabulam contaminasse hoc versu ipsum professum esse putant, quae est sententia Herrmanowskii[24]) et Skutschii.[25]) Concludit enim Skutschius ita: „Ich denke, wir haben sicher erwiesen, dass das Stück wirklich von Terenz „doppelt" gemacht worden ist. So kann es also wohl kein Zweifel sein, dass wir in v. 6 aus Terenz' eigener Feder die ausdrückliche Bestätigung dafür haben, dass der Heautontimorumenos kontaminiert ist".

Primum quaeramus, quibus argumentis allatis hanc fabulam contaminatam esse vir doctus demonstravisse sibi videatur. Ratiocinatur enim ita, ut (p. 1) dicat Terentium, si Heautontimorumenon ex duabus fabulis Graecis non contaminasset, eis prologi versibus, quibus de contaminationis crimine verba faciat (vv. 16—21), certe non solum ea dicturum fuisse, quae re vera dixerit:

„id esse factum hic non negat,
Neque se pigere et deinde facturum autumat", sed poetam gloriaturum fuisse hanc adversariorum criminationem, etsi ad fabulas antea factas iure spectaret, tamen ad eam, quam acturus esset, minime pertinere. Quae cum Terentius in prologo non dixerit, sequi, ut talia dicere omnino non potuerit; ergo reliquum esse, ut Heautontimorumenos contaminata sit. Sed tale argumentum ex silentio scriptoris petitum semper est dubium et fallax, praesertim cum tali ratiocinatione adhibita hoc loco etiam contrarium quod sit, effici possit: Terentius enim, dicat quispiam, si contaminasset, dixisset non modo se non negare id factum esse et audacter iterum idem facturum esse, sed etiam hanc quoque fabulam, quam acturus esset, etiamsi adversarii propter fabulas contaminatas se maxime reprehendissent, tamen a se contaminatam esse. Hoc autem cum non dixerit, sequi, ut eiusmodi verba dicere omnino non potuerit, ut Heautontimorumenos non contaminata sit. Nihil igitur de fabulae contaminatione tali ratione qui utetur, statuere poterit.

Deinde verba ne possunt quidem ita intellegi, ut viri docti voluerunt. Neque enim Heautontimorumenos, si contaminata est, ex ‚simplici' h. e., ut Skutschius ipse concedit, ex uno argumento facta est, sed ex duabus fabulis Graecis; neque ipsa ‚duplex' facta est, sed ‚una' (h. e. simplex) facta est fabula. Quare id, quod de Leonis sententia vir doctus dicit, multo magis in ipsius sententiam cadere mihi videtur: etenim eum, quem vir doctus statuit, sensum praeberet versus talis:

[24]) diss. inaug. p. 5 sqq.
[25]) In ‚Philologi' tomo LIX (1900) p. 1 sqq. et p. 7 sq.

„Simplex quae ex argumento facta est duplici", quae coniectura, cum a legibus senarii abhorreat, ferri nequit.

III. Tertiam quandam explicationem invenimus apud Roetterum,[26]) qui de duabus eiusdem nominis „Heautontimorumenos" fabulis Terentianis cogitat: primum enim Terentium aliam huius nominis fabulam in lucem edidisse: integram ex integra. Poetam vero quod contaminando putaret elegantiorem eam et ad plausus movendos aptiorem fore, retractavisse, contaminavisse, novam fecisse: ex priore simplici duplicem fecisse. Hoc modo prologi verba certe optime explicantur, praesertim cum quae esset huius versus sententia, omnes spectatores, qui priorem fabulam spectavissent, haud ignoraverint. Sed tota sententia, qua recepta haec fabula in duas partes scinditur, eis, quae vir doctus exposuit, minime probatur, id quod etiam Skutschius (l. s. s.) concedit. Praeterea Roetterus, ut sententia prolata stare omnino possit, etiam prologum Heautontimorumeni in duos prologos ad illas duas actiones pertinentes discerpit. Denique non intellegitur, quomodo fieri potuerit, ut illi versus ad prioris tantum actionis prologum spectantes omnino servarentur, praesertim cum ideo, quod haec fabula posterior propter Syri fraudes, Clitiphonis amores magis populo placeret, factum esse vir doctus ipse dicat, ut prior evanesceret.

Neque maiorem probabilitatis speciem ea, quam Venediger (l. s. s. p. 133 sqq.) protulit, prae se fert sententia. Statuit enim vir doctus Terentium Heautontimorumenon fabulam ex una simplici Menandri fabula convertisse; tum vero cum huius Menandreae fabulae argumento prorsus aliud argumentum a se fictum commiscuisse, ita ut fabula ex simplici Graeca duplex Latina facta sit. Nimium, credo, ingenii vir doctus Terentio attribuit.

Nulla igitur virorum doctorum explicatio verborum „Duplex quae ex argumento facta est simplici" placuit. Quid igitur faciamus? An eiciamus, quod non intellexerimus? At versus necessarius est. Nihil igitur restat nisi, ut locum labem contraxisse putemus. Et medicina in promptu est. Vidimus enim (supra p. 57) „facta ex simplici argumento" significare posse „ex una fabula Graeca facta", quo recepto nihil obscurum est nisi illud ‚duplex'. Scribamus igitur oportet hoc quoque loco ‚simplex', ita ut cum Lessingio[27]) et Amdohrio[28]) legamus:

[26]) „De Heaut. Terent." Progr. v. Bayreuth 1892 p. 20.

[27]) In Dramaturgiae Hamburg. cap. 87 (in edit. Hempeliana VII p. 417 adn.).

[28]) Diss. inaug. p. 12 sq.

„Simplex, quae ex argumento facta est simplici".

Nec sensus versus est obscurus: „Heautontimorumenos est una fabula, ex una Graeca facta" h. e. fabula est non contaminata.

Hac lectione probata non modo ea, quam Leo statuit, figura rhetorica plane servatur, sed etiam versus versui quarto maxime respondet:

Ex integra Graeca integram comoediam
Hodie sum acturus Heautontimorumenon,
Simplex quae ex argumento facta est simplici."

Utroque igitur versu idem verbum poeta bis usurpat: v. 6 ostendit fabulam novam esse dicens fabulam et ex integra Graeca et ipsam integram esse; v. 6 autem negat fabulam contaminatam esse, quo loco, etsi non necessarium est, tamen vocem ‚simplex' bis ponit cum figurae et elocutionis venustatis causa, tum ut versum versus antecedentis simillimum reddat. Heautontimorumenon vero contaminatam non esse haud scio an ob eam rem verisimillimum sit, quod quamvis studiose viri docti operam dederint, nemini adhuc contigit,[29]) ut fabulam contaminatam esse apposite ad persuadendum demonstraret (cf. Skutschium l. s. s. p. 8).

Denique quomodo codicum scriptura orta sit, facillime explanari potest, dum modo illa Donati et Euanthi verba (cf. supra p. 58) meminerimus. Grammaticus enim quidam, qui Heautontimorumenon eodem modo atque ceteras Terenti fabulas Hecyra excepta non simplicis argumenti esse, sed duos senes, duos adulescentes praebere intellexisset, hunc prologi versum, ut cum ipsius sententia conveniret, mutavisse videtur. Illud quoque haud scio an credi possit grammaticos ex hoc versu, quae de duplicibus argumentis edocerent, temere derivasse.[30]).

---

[29]) Herrmanowski l. s. s. p. 22/29. — Roetter l. s. s. — cf. autem Fabiam l. s. s. 188 sq.

[30]) Codicum auctoritati non magnam fidem hoc loco tribuendam esse vel ex eo apparet, quod in optimo codice A prior manus exaraverat ‚duplici', altera correxit ‚simplici'.

B. Quaestiones scaenicae.

Caput I: **De poetarum Terenti aequalium prologis.**

Nullam habemus fabulam poetarum Terenti aequalium, tamen quales fabulas Terenti adversarii eorumque signifer Luscius Lanuvinus scripserint, et quo scribendi genere usi sint, partim ex eis, quae Terentius de suis et illorum rationibus dicit, partim ex eis, quae Donatus illis locis adscripsit, cognosci posse dicit ostenditque Roehricht.[1]) Idem fere ostendi posse arbitror de eorum prologis, de quibus ex Terenti prologis, qua sunt proprietate argumenti, nonnulla cognosci posse confido.

Ordiamur igitur ab Andriae prologo, ubi leguntur haec (v. 5 sqq.): „Nam in prologis scribundis operam abutitur,
Non qui argumentum narret,[2]) sed qui malivoli
Veteris poetae maledictis respondeat“.

Inde in universum efficitur, ut Terenti aetate poetae quidam in prologis argumentum fabulae narraverint. Hi quinam fuerint, etsi poeta non dicit, tamen cum Terenti adversarii fabulas Graecas ad verbum converterint cumque poetas comoediae Atticae quae dicitur novae fabulis prologos, quibus quae ad fabulam intellegendam opus essent, enarrarent, praemisisse ex eis, qui aetatem tulerunt, prologis Graecis satis constet,[3]) sequi videtur, ut adversarii quoque eiusmodi prologos composuerint.[4]) Accedit quod Terentius ipse in Adelph. prol. (v. 22) adversarios illudit dicens haec:

„Dehinc ne expectetis argumentum fabulae“.

Proximus locus invenitur in Phorm. prol. (v. 12 sqq.):

---

[1]) l. s. s. p. 31 sqq. (Diss. phil. Argent. IX p. 323 sqq.)

[2]) Donatus ad h. l.: „quod vere prologi est officium“.

[3]) cf. Kaibel: Nachr. d. Gött. Ges. d. Wiss. (phil.-hist. Kl.) 1899 p. 549 sqq. — Reitzenstein: Herm. XXXV (1900) p. 622 sqq. — Weil: rev. d. ét. Gr. XIII. (1900) p. 427 sqq. — Fabia l. s. s. 76 sqq. — Frantz: ‚de comoediae Atticae prologis‘ diss. inaug. Argentor. 1891. — Leo: Plaut. Forsch. p. 170 sqq.

[4]) Hoc confirmatur Hydriae, fabulae incerti poetae, prologo, de quo Quintilianus XI 3, 91 haec tradit (cf. Ribbeck: com. Rom. fragm.[3] p. 131): „cum mihi comoedi quoque pessime facere videantur, quod etiam si iuvenem agant, cum tamen in expositione aut senis sermo, ut in Hydriae prologo, aut mulieris, ut in Georgo, incidit, tremula vel effeminata voce pronuntiant.“ Ad quem locum cf. Spaldingius (in Quint. ed 1816 vol. IV p. 401) quae adnotaverit. — Quam ob causam verisimile est versus, qui traduntur ex Sexti Turpili Lindia (fr. I [II?] et IV R.[3] p. 118/9) et ex Naevi fabulis Acontizomeno (fr. I, II, III, R.[3] p. 6) et Gymnastico (fr. I R.[3] p. 17) et ex incertis incertorum fabulis fr. II (R.[3] p. 132) ex harum fabularum prologis sumpta esse. — cf. Fabia l. s. s. p. 87 n. 1.

„Nunc si quis est, qui hoc dicat aut sic cogitet:
‚Vetus si poeta non lacessisset prior,
Nullum invenire prologum posset novos,
Quem diceret, nisi haberet cui male diceret‘:
Is sibi responsum hoc habeat“ sq.

Ex quibus verbis apparet veterem poetam, etiamsi in Terentium non invectus esset, tamen prologum invenisse, quem diceret. Quid igitur inde efficiemus? Aut adversarii aegre tulerunt, quod Terentius in prologis suis omnino de eorum vitiis verba fecerat; sequitur ergo, ut ii ipsi talia in prologis suis omnino non protulerint, ut alio loco, non in prologis, et Terentium reprehenderint et se defenderint.[5]) Aut conquesti sunt, quod Terentius prologos ob eam solam causam scriberet, ut aut adversarios laederet aut se defenderet, sed argumentum fabulae non enarraret; sequitur ergo, ut illi suos prologos non solis contentionibus litibusque compleverint, sed alias quoque res protulerint. Utrumque hoc ex loco concludi posse etsi concedo, tamen vix credi potest adversarios licet initio Terentio in sermonibus cotidianis obtrectaverint, cum hunc sibi coram populo respondere vidissent, eodem genere certaminis abstinuisse. Quamobrem statuendum esse arbitror adversarios prologis usos esse et ad fabulae argumentum enarrandum et ad Terentium laedendum seque defendendos. Hoc fieri potuisse ex Adelphorum prologo satis elucet; etenim Terentius illa verba (v. 22):

„Dehinc ne expectetis argumentum fabulae“

tum dixit, postquam duo crimina luculenter refutavit.[6]) Id igitur solum differre videtur inter Terenti et adversariorum prologos, ut Terentius prologos solam ob eam rem scripserit, ut illos laederet seque defenderet (cf. Andr. prol. vv. 1—7), contra adversarii praeterea argumentum fabulae enarraverint.

Multo difficilius est diiudicare, quomodo adversarii Terentio singula crimina exprobraverint. Quae in duo genera dividuntur. Etenim aut ad singulas Terenti fabulas quasdam spectant aut in universum dicta sunt pertinentque ad complures vel omnes Terenti fabulas vel ad eius universam fabulas componendi artem

[5]) Ita iudicare videtur Fabia l. s. s. p. 101: „L'adversaire et ses partisans formulent leurs critiques de leur propre bouche dans les entretiens de la vie quotidienne. Térence, au lieu de riposter de la même façon, a l'idée très heureuse de donner à ses réponses une bien plus grande publicité en les faisant présenter par Prologus du haut de la scène.“ cf. id. p. 30 sq. et p. 262.

[6]) cf. etiam prologum Graecum, quem Kaibel (l. s. s.) publici iuris fecit; cuius similis est Casinae Plautinae prologus.

ac rationem. Quorum utrumque genus poeta in prologis diversis modis tractat refutatque. Etenim

I. Ad singulas fabulas si criminatio pertinet, quid fecerit, poeta spectatoribus accuratissime exponit, qua in re plerumque defensio posita est: in Andr. prol. vv. 8—21; Eun. prol. vv. 19—41; Adelph. prol. vv. 4—14.[1])

II. Sin autem criminatio ad universam Terenti artem spectat, multa verba facere poetae non opus est. Quamobrem quid iniqui sibi crimini dederint, breviter dicit enuntiato a particula ‚quod' aut pronomine ‚qui' incipiente usus respondetque in sententia primaria, ita in Heaut. prol. v. 16 sqq.:

„Nam quod rumores distulerunt malivoli,
Multas contaminasse Graecas, dum facit
Paucas Latinas: id esse factum hic non negat . . .",

in Heaut. prol. v. 22 sqq.:

„Tum quod malivolus vetus poeta dictitat,
Repente ad studium hunc se adplicasse musicum,
Amicum ingenio fretum, haud natura sua:
Arbitrium vostrum, vostra existumatio
Valebit."

in Adelph. prol. v. 15 sqq.:

„Nam quod isti dicunt malivoli, homines nobilis
Eum adiutare adsidueque una scribere:
Quod illi maledictum vehemens esse existumant,
Eam laudem hic ducit maxumam" sq.

Similiter in Phorm. prol. v. 4 sq.:

„Qui ita dictitat, quas antehac fecit fabulas,
Tenui esse oratione" sq.

Contra prorsus aliter res est comparata in Phorm. prol. v. 12 sqq.:

„Nunc si quis est, qui hoc dicat aut sic cogitet:
‚Vetus si poeta non lacessisset prior,
Nullum invenire prologum posset novos,
Quem diceret, nisi haberet cui male diceret':
Is sibi responsum hoc habeat" sq.

Scimus autem Phormionis prologum post Andriae, Heautontimorumeni, Eunuchi prologos scriptum esse. Nonne mirum est Terentium, postquam antea complures eiusdem argumenti

---

[1]) In Andr. et Adelph. proll. poeta se eo defendit, ut quid fecerit, dilucide exponat; in Eunuchi vero prologo postquam hoc fecit, alia argumenta eaque vana addit, quibus purgari studet: vel ex eo elucere videtur poetam id, quod iniqui ei obiecerant, profecto commisisse h. e. hanc in fabulam partes quasdem ex Colace et Plauti et Naevi scientem transtulisse. (cf. supra p. 19 sq. et p. 40.)

prologos scripsit, hoc Phormionis prologo iterum de prologorum suorum proprietatibus verba facere? Neque vero spectatores hac de re voluit edocere. Restat igitur, ut adversariorum rationem habuerit. Etenim Terentius etsi de nullo certo accusatore cogitare videtur (cf. v. 12), sed verba ita profert, quasi aliquem spectatorem hoc prologorum genere offendi suspicetur, tamen sententia tota, non singulis verbis examinatis apparet poetam de Luscio vel omnino de adversariis suis cogitavisse. Hoc enim primum demonstratur argumento illius probri, quod in vv. 13—15 quos supra scripsimus inest. Quibus verbis ‚poeta novos' opponitur ‚poetae veteri'. Praeterea hac de re Terentius eo potissimum prologi loco agit, quo de adversariis loquitur. Accedit, quod illos poetas prologos, qui a Terentianis genere diversi fuerint, scripsisse constat.

Restat tamen, ut quaeramus, responderitne his verbis Terentius adversariorum criminationi cuidam an crimen quasi sibi ipse obiecerit, quod refutaret. Ex v. 12: „Nunc si quis est, qui hoc dicat aut sic cogitet" dilucide apparere arbitror neminem usque ad illud tempus prologos Terentianos vituperasse, poetam autem timuisse, ne quis malignorum mox prologos suos vituperaret. Praeterea si adversarii eiusmodi vituperatione usi essent, Terentius cum gravissima sibi argumenta, quibus tale crimen refutaret, in promptu essent, non habuisset, cur ab adversariis hanc criminationem prolatam esse nullo verbo memoraret. Adde quod in Eunuchi prologo poeta simili plane modo hoc dicit (v.4 sq.):

„Tum si quis est, qui dictum in se inclementius
Existumavit esse, sic existumet" sq.

quo loco cum lectionem „existumabit" lectioni „existumavit" praeferendam esse intellexerimus (cf. p. 11 adn. 19), consentaneum est haec verba, in quibus legatur forma futuri temporis, referenda esse ad ea, quae Terentius ipso hoc in prologo in Luscium[8]) dicturus sit, non ad Luscii crimina priora. Itaque non est, cur arbitremur Terentium haec cum dicat, adversariorum crimini respondisse priori. At iure quaeret quispiam, curnam poeta omnino de prologorum suorum genere hoc loco verba fecerit. Qua in quaestione ea verba, quibus poeta crimina diluit adversariorum, oportet considerentur. In Phormionis enim prologo dicit (v. 16 sq.): „in medio omnibus
Palmam esse positam, qui artem tractant musicam",
addit autem haec (v. 18 sq.):

[8]) Luscium enim voce „si quis" significari manifestum est. cf. Nencinii ‚quaest Terent.' (Turin 1893), cuius sententiam ex Hauleri relatione cognovi (Berl. Ph. Wochenschr. 1895 Sp. 877).

„Ille ad famem hunc a studio studuit reicere:
Hic respondere voluit, non lacessere".

Similiter in Eun. prol. dicit (v. 4 sqq.):

„Tum si quis est, qui dictum in se inclementius
Existumabit esse, sic existumet,
Responsum, non dictum esse, quia laesit prior".

Unaquaque igitur occasione data Terentius monet se non ultro aggressum esse, sed ab adversariis lacessitum respondere (cf. Andr. prol. v. 7; Heaut. prol. v. 33 sq.), qua re se favorem populi sibi conciliaturum esse sperat.[9])

Verum ad id, unde degressa est oratio, revertamur. Quaerere deinceps oportet, quonam modo adversarii Terentio singula crimina exprobraverint.

Qua in quaestione quod certissimum est, exhibetur in Heaut. prol. (v. 16 sq.): „Nam quod rumores distulerunt malivoli,
Multas contaminasse Graecas" sq.

Non igitur palam in prologis, sed per rumores in sermonibus cotidianis adversarii Terentium reprehenderunt, quod fabulas contaminasset.

2. Deinde ex tribus prioris generis (cf. p. 63 sq.) locis inter se collatis hoc effici posse arbitror:

In Adelph. prol. (v. 4 sqq.) a crimine furti, quod paulo ante Luscius ei opprobrio dederat, se defendit. Adelphi autem fabula cum primum ageretur, nemini ad id tempus nota erat.[10]) Poeta tamen cum timeat, ne hac quoque in fabula furtum commissum esse adversarii dicant, de se ipse indicio est, spectatores iudices facit (v. 4) incipitque ita:

(v. 6) „Synapothnescontes Diphili comoediast:
Eam Commorientis Plautus fecit fabulam.
In Graeca adulescens est, qui lenoni eripit
Meretricem in prima fabula: eum Plautus locum
Reliquit integrum. eum hic locum sumpsit sibi
In Adelphos, verbum de verbo expressum extulit".

Qua ex narratione omnes spectatores, quid Terentius hac in fabula conficienda fecisset, accuratissime compererunt, ita ut ipsi iudices esse possent. Quos sententiam ut ferant, poeta invitat (v. 12):

„Pernoscite Furtumne factum existumetis" sq.

Plane similiter res se habet in Eunuchi prologo (v. 19 sqq.). Primum quid Luscius sibi crimini dederit, exponit, tum addit, si peccavisset, inprudentia se peccavisse. Deinde iterum spectatores iudices facit (v. 29):

---

[9]) Similiter Fabia l. s. s. p. 288.
[10]) cf. supra p. 20 adn. 38.

„Id ita esse vos iam iudicare poteritis".
Hoc quo rectius illi facere possint, quid ipse fecerit, hoc quoque loco accurate exponit his verbis:

„Colax Menandrist: in east parasitus colax
Et miles gloriosus: eas se non negat
Personas transtulisse in Eunuchum suam
Ex Graeca; sed eas fabulas factas prius
Latinas scisse sese, id vero pernegat".

Vel ex his versibus consequi mihi videtur spectatores ad id tempus, quid Luscius Terentio obiecisset, nescivisse: id quod eo explicatur, quod Luscius de Eunuchi vitiis sola in illa actione facta coram magistratibus, quae primam fabulae actionem antecessit, verba fecerat, non in prologo alicuius fabulae coram spectatoribus.

His cum locis conferas Andr. prol. v. 8 sqq. Incipit Terentius: „Nunc, quam rem vitio dent, quaeso animum adtendite". Ex quo loco apparere mihi videtur non solum poetam hac de adversariorum criminatione ad illud tempus verba non fecisse,[11]) sed etiam spectatores huius rei plane ignaros fuisse. Deinde hoc quoque loco quid fecerit, poeta accurate exponit:

(v. 9) „Menander fecit Andriam et Perinthiam sq.
(v. 13) Quae convenere in Andriam ex Perinthia
Fatetur transtulisse atque usum pro suis."

Tum sequitur (v. 15): „Id isti vituperant factum" sq. Denique spectatores rursus iudices facit v. 24 sq.:

„Rem cognoscite, Ut pernoscatis" e. q. s.

Simillimo igitur modo Terentius in Andriae prologo utitur atque in Adelphon et Eunuchi prologis. Quorum ex utroque cum manifestum esse intellexerimus spectatores neque vitia fabulae neque adversariorum crimen antea cognovisse, concluserim spectatores, certe maximam partem, ne ante Andriae quidem fabulae actionem scivisse illud crimen Terentio illatum esse. Hoc si ita est, sequitur, ut adversarii hoc quoque crimen Terentio non palam exprobraverint in prologis suis, sed verbi causa in sermonibus cotidianis.[12])

3. Cetera crimina singula quonam modo adversarii Terentio exprobraverint, diiudicare non possumus. Semper autem animo tenendum est non adversariorum, sed solos Terenti prologos memoriae traditos esse, ex quibus duo tantum, quae ad eius

[11]) Dziatzko: diss. inaug. p. 2 adn. 1.

[12]) cf. autem A. Spengel: Andr. ed. (Berol. 1875), praef. p. X. — Ceterum hoc maxime convenit cum Andriae secundae actionis tempore (cf. supra p. 53 sq.).

Luscique rixam pertinent, comperimus. Scimus enim et quid Terentius adversariis in prologis obiecerit, et quae adversariorum crimina Terentius in prologis refutaverit. Adversarios autem non solum in prologis, sed etiam in sermonibus cotidianis aliove modo Terentium laesisse cum viderimus, plane fieri potest, ut Terentius quoque hic illic alio telo praeter prologos ad illos laedendos aut ad se defendendum usus sit.

Caput II: **De fabulis emendis.**

Hoc capite nobis quaerendum est, quae ratio inter ludorum curatores et dominos gregis et poetas in fabulis et emendis et usurpandis aetate Terentiana apud Romanos intercesserit. Ne hanc quidem rem equidem primus tractaturus sum, sed antea alii viri docti eam sive tetigerunt sive pertractaverunt. A quorum sententia cum dissideam, quid sentiam, breviter proferam.[18])

Tota res autem versatur in duabus quaestionibus: Primum quaeritur, quisnam fabulas a poeta emerit; deinde in cuius dominio fabulae actae manserint. Utraque de quaestione primus egit Fr. Ritschelius (Parerg. I p. 327 sqq.). Qui proficiscitur ex Eun. prol. v. 19 sq.: „Quam nunc acturi sumus
Menandri Eunuchum, postquam aediles emerunt“ sq.

Ex quo loco satis apparere aediles vel in universum ludorum curatores, ut per se verisimile sit, fabulas, quas histrionibus agendas curarent, a poetis emisse. Huic opinioni parum respondere Hec. prol. II v. 47 sqq.:

„Mea causa causam accipite et date silentium,
Ut lubeat scribere aliis mihique ut discere
Novas expediat posthac pretio emptas meo“.

Sed locum explicari Donati verbis, qui ad hunc Hecyrae locum haec adnotet: „Aestimatione a me (i. e. ‚a domino gregis‘) facta, quantum aediles darent: et proinde me periclitante, si abiecta fabula a me pretium, quod poetae numeraverint, repetant Ergo ‚meo‘ a me facto, a me statuto“. Ita igitur rem se habere: Aediles fabulas a poetis oblatas domino cuidam gregis aestimandas tradere. Qui quod pretium statuant, id aediles poetae dare, ita ut poeta, antequam fabula agatur, pretium ab aedilibus solutum acceperit. Dominum autem gregis, si fabula ab eo aestimata exacta sit, illud pretium poetae solutum aedilibus reddere debere. Qua

---

[18]) Nonnulla recte intellexerunt Ribbeck: Die Röm. Tragödie, p. 655 sqq.; Oehmichen: Bühnenaltertümer der Griechen und Römer (I. Müllers Handb. V, 3) § 36; Amdohr l. s. s. p. 24 sq.

de causa Ambivium dicere posse: „fabulas pretio emptas meo". Quae sententia a Ritschelio probata etsi fere omnibus viris doctis imposuit,[14]) mihi tamen scrupulos quosdam movit.

I. Nego enim dominum gregis, si fabula exacta erat, illud pretium, quod aediles poetae pependerant, aedilibus reddere debuisse.[15]) Etenim etsi dominus gregis fabulam aestimaverat atque dixerat fabulam bonam idoneamque esse, tamen singulaene fabulae populo placiturae essent, ne dominus quidem gregis semper certo sciebat. Nam et successus fabulae et calamitates persaepe neque in fabulae neque in actorum virtutibus aut vitiis positae sunt, sed multis in aliis rebus, id quod utraque priore Hecyrae actione satis demonstratur. Quae cum ita sint, si fabula exclusa erat, solum dominum gregis damnum accepisse quomodo potest cogitari? Addendum est, quod dominus gregis sive fabula placuerat sive non, aliquam pecuniae summam ab aedilibus acceperit necesse est propterea, quod suam gregisque operam illis locaverat. Quam rem et ipse quaestui habebat et gregi suo mercedem dare debebat.[16]) Id unum addubitari potest, dederintne aediles domino gregis illam summam ante eam actionem an post. Quid igitur sibi vult Donati adnotatio?

II. Deinde Donati explicatio, ut per se ab omni verisimilitudine aliena est, ita ipsis Hec. prol. verbis repugnare mihi videtur. Dicit enim Ambivius haec: „mihique ut discere
Novas expediat posthac pretio emptas meo".

Quid enim aliud verba significare possunt nisi „ut mihi expediat fabulas novas, quas ipse meo pretio emi, posthac discere", id quod postulatur structura grammatica. Quamobrem Ambivius, licet Donatus de pretio aedilibus reddendo verum tradiderit, de eis solis fabulis, quae abiectae erant, illa verba usurpare potuit, non de universis fabulis. Sed ne de abiectis quidem fabulis verba intellegi possunt, cum Ambivius petat, ut sibi expediat novas discere pretio emptas suo.

III. Quare quoniam Donati explicationem et per se ab omni verisimilitudine esse alienam et ipsis Hec. prol. verbis repugnare, immo, si hunc prologum recte percipimus, omni sensu carere vidimus, Donatus in hac quaestione diiudicanda prorsus omittendus est, praesertim cum, unde illa hauserit, ipse tecte pronuntiet.

---

[14]) cf. praeter eos, quos infra commemorabo, Krueger ad Horati Epist. II 1, 175 et Friedländer ap. Marquardt. „Röm. Staatsverw."[2] III (1885) p. 538 sq.

[15]) Ita iam Oehmichen l. s. s.: „Die nicht recht klare Verpflichtung zur Entrichtung einer Strafsumme bei Missfallen des aufgeführten Stückes". cf. etiam Amdohr l. s. s. p. 24.

[16]) cf. Macrob. Sat. III 14, 13.

Pergit enim in illa adnotatione hoc modo: „Nam quo modo alibi dixit: ‚Postquam aediles emerunt‘? Et bene, ut sequatur populus iudicium eius, qui aestimare vere fabulas potuerit“. Eodem igitur ex fonte ille hausit, unde nos haurimus. Novit scilicet illos duos prologorum locos, quorum cum alter alteri repugnare videretur, ipse suam illam explicationem finxit.[17])

Donati igitur testimonium quoniam nihil valere intelleximus, hac in re diiudicanda prorsus est omittendum. Sed hac cum quaestione cum altera illa quaestio artissime coniuncta sit, ita ut nisi qui in priore verum viderit, nemo in altera verum videre possit, cumque omnes adhuc viri docti mirum in modum Donati testimonio usi sint, ne in altera quidem quaestione eos recte iudicasse per se apparet. Tamen quid senserint, priusquam ipsi ad rem diiudicandam transeamus, breviter exponam.

Quaeritur igitur, in cuius possessione fabulae actae manserint. Quod ut cognoscatur, Ritschelius de tribus rerum condicionibus, de quibus cogitari potest, singillatim agit. Aediles dicit, qui fabulas emerint, fabularum possessores non fuisse, cum fabularum actarum nullum omnino usum habuerint. Neque fabulas ad poetas redisse, quippe qui eas vendiderint, praesertim cum ex Hec. prol. I v. 6 sq.:

„Et is qui scripsit hanc ob eam rem noluit
Iterum referre, ut iterum posset vendere.“

appareat ex veteribus fabulis poetas nihil lucri facere potuisse. Restare igitur, ut fabulae in domini gregis possessione manserint, qui illas fabulas, quotienscumque voluerit, agere potuerit. — Eadem autem ratiocinatione usus vir doctus concludere debebat fabulas actas ne in actoris quidem possessionem pervenisse, cum hic fabulas omnino non emisset, sed aedilium iussu tantum aestimavisset. Sed ut vera sit conclusio viri docti, tamen eius sententia refutatur illo Hec. prol. loco, quem ipse attulit,[18]) unde dilucide apparet ex potestate et permissu poetae fuisse fabulas iterum referre, fabulas igitur in actoris dominio mansisse. Quamobrem Dziatzko[19]) putabat poetas

---

[17]) De similibus Donati locis eorumque fide cf. Rabbow: annal. phil. nov. CLV (1897) p. 305 sqq. — cf. infra p. 83 adn. 56 et p. 84.

[18]) Ritscheli sententiam defendit Roehricht l. s. s. p. 50 sqq. (Diss. phil. Arg. IX p. 342 sqq.). Ab hac cum ille Hecyrae locus (v. 6 sq.) repugnet, vir doctus cum Osanno (cf. Ritschl. l. c. p. 336) putat poetam Hecyram, postquam primum exacta sit, retractavisse et emendavisse neque tamen ullum argumentum affert. — Prorsus autem reicienda sunt, quae Karstenus l. s. s. p 181 n. 3 exposuit.

[19]) Mus. Rhen. nov. XXI (1866) p. 471 sqq. aliter idem: Mus. Rh. nov. IL (1894) p. 562 sq. — Quam sententiam plane probat Hauler: Phorm.ed.[3] p. 33.

aedilibus nihil vendidisse nisi ius primae actionis, fabulas autem, simulatque primum actae essent, ad poetam redisse.[20]) Cum tamen Ambivium fabulas Caecilianas exactas iterum iterumque egisse constet, cumque eundem omnino maxima potestate in fabulis iterandis usum esse ex Hecyrae prologo altero apparere[21]) ne ipse quidem neget, addit persaepe poetas domino gregis fabulas veteres iterum agendas libentissime reliquisse, cum ipsi ex veteribus lucrum facere non possent. Ne hac quidem disputatione controversia illa sublata est. Ex quibus tandem locis vir doctus effecit fabulas semel actas pro nihilo haberi solitas esse?[22]) Nonne scimus Ambivium fabulas Caecilianas iterum iterumque egisse? Id quod intellegi plane non potest nisi si ex fabulis veteribus lucrum efficiebatur. Curnam igitur Ambivius hoc fecerit? Haec et multa alia ne si Dziatzkonem quidem sequimur, perspicua sunt facta. Sed haec hactenus de virorum doctorum sententiis. Accedamus oportet ipsi ad priorem quaestionem diiudicandam, qua quaerimus:

Quis fabulas novas a poeta emerit.

1. Proficiscamur ex Hec. prol. II v. 48 sq.:

„mihique ut discere
Novas expediat posthac pretio emptas meo".

Quibus ex versibus necessario efficitur, ut dominus gregis fabulas novas emerit. Porro cum de novis fabulis sermo sit, cumque nemo fabulas novas vendere possit nisi poeta, sequitur, ut dominus gregis fabulas novas ab ipso poeta emerit. Res igitur ita comparata est, ut dominus gregis fabulas novas a poeta emerit, quas cum ludi imminebant, aedilibus vel omnino ludorum curatoribus offerret. Aediles autem fabulas a domino gregis, non a poeta emerunt.

Hoc autem non solum ex hoc loco apparet, sed ex multis aliis.

2. Proximus locus invenitur in Heaut. prol. v. 43 sqq.:

„Nam nunc novas qui scribunt, nil parcunt seni:
Si quae laboriosast, ad me curritur;
Si lenis est, ad alium defertur gregem".

Ad Ambivium igitur, dominum gregis, si quae fabula laboriosa est, ei qui novas scribunt h. e. poetae currunt fabulamque novam deferunt. Unde luce clarius efficitur poetas fabulas novas ad actores detulisse eisque vendidisse, non aedilibus.

---

[20]) Ita ante Dziatzkonem Ihne l. s. s. thes. XI. — Jac. Al. Becker: de Romanorum censura scaenica, Mogontiaci 1852 p. 21. — Wilmanns l. l. thes. I. — postea Amdohr l. s. s. p. 25 n. 1.

[21]) cf. Ritscheli Parerga p. 333 sqq.; cf. quoque infra p. 72 sq.

[22]) cf. Leo: Anal. Plaut. (1898) p. 19 sq.

3. Deinde testimonio est totus Hecyrae prologus posterior, in quo Ambivius de multis rebus ad se spectantibus, veluti quae ratio inter se ipsum et spectatores et inter se et poetas intercedat, enarrat. Unde primum id discimus Ambivium magna auctoritate atque dignitate apud spectatores fuisse. Dicit enim ipse de ‚auctoritate' sua (v. 40) rogatque populum (v. 47): „Mea causa causam accipite".[25]) Id quoque, quod Terentius post utramque calamitatem, quam accepit, prologos Ambivio pronuntiandos tradidit, argumento est poetam scivisse Ambivium apud populum multum valere. Ob eam igitur causam Terentius „commisit suum studium in Ambivi tutellam" (v. 44), unde simul apparet poetam cum domino gregis aut commercio aut amicitia coniunctum fuisse. Idem probatur huius prologi v. 10 sq.:

„Easdem agere coepi, ut ab eodem alias discerem
Novas, studiose, ne illum ab studio abducerem".

Quos versus ita tantum recte explicari iudico, si poetam ad dominum gregis, non ad aediles fabulas novas detulisse censemus. Etenim aediles si fabulas novas a poetis emissent et domino gregis solum agendas tradidissent, huius minime interfuisset, a quo poeta fabulae scriptae essent. Sin autem dominus gregis ab ipsis poetis novas emebat, eius intererat cum eis poetis agere negotioque coniungi, qui fabulas bonas scribebant. Intellexerat autem Ambivius Caecili fabulas, etsi, cum primum agerentur, nescio quam ob rem displicuerant, tamen praeclaras esse. Qua de causa vehementer cupiebat illum fabulas scribere non desinere. Etenim si Caecilius deterritus esset, ne fabulas scriberet, Ambivius quoque damnum accepisset, quod novas Caecilianas agere non iam posset. Quod ne fieret, Ambivius ultro, non a Caecilio invitatus aut rogatus, enixe operam dedit, ut fabulae Caecilianae exactae iterum agerentur, spectarentur, probarentur, id quod sua solum ipsius opera factum esse perspicuis verbis dixit:

(v. 4) „Novas qui exactas feci ut inveterascerent,
(v. 9) . . . certum mihi laborem sustuli,
(v. 10) Easdem agere coepi, . . .
(v. 12) Perfeci ut spectarentur . . .
(v. 13) Ita poetam restitui in locum".

Sed potestne cogitari Ambivium ob eam solam causam, ut a Caecilio alias novas acciperet neve poetam ab studio ab-

---

[25]) cf. Heaut. prol. v. 35 sqq., imprimis v. 41:
„Mea causa causam hanc iustam esse animum inducite."
et v. 48 sqq.: „Si numquam avare pretium statui arti meae
Et eum esse quaestum in animum induxi maxumum,
Quam maxume servire vostris commodis" sq.

duceret, fabulas iterum iterumque egisse? An censemus Ambivium sperantem se ex novis fabulis, quas Caecilius facturus esset, multum lucri quaesiturum esse, tum nec impensae nec labori pepercisse? Quid tum, si illae novae eodem modo atque fabulae, quas poeta ad id tempus fecerat, displicebant? Hoc igitur ab omni probabilitate est alienum. Sequitur igitur, ut ex veteribus quoque fabulis, etiam ex exactis lucelli aliquid fieri potuerit, ut Ambivius fabulas iteraret, non solum quo poetae animum erigeret, sed etiam ut ipse fructum caperet. Sed Ambivius, non ideo quia nego dominum gregis, plerumque libertinum,[24]) non magna pecunia praeditum, sua ipsius re prorsus neglecta[25]) poetarum causa illum laborem suscepisse, putandus est homo avarus fuisse propriamque solam utilitatem spectasse.[26])

Sed redeamus ad propositum. Cum igitur Ambivium fabulas Caecilianas poeta paene invito iterum iterumque egisse viderimus, sequitur, ut ei non modo licuerit fabulas iterare, sed eius etiam magni interfuerit eas placere. Utrumque autem ita tantum explicatur, ut eum fabulas ab ipso poeta suo pretio emisse credamus.

4. Ad hos autem locos, qui ad Terenti ipsam aetatem spectant, accedunt loci posteriores, quibus idem demonstratur; sicut Iuvenalis dicit sat. VII 87 de Statio poeta hoc:

„Esurit intactam Paridi nisi vendit Agauen".[27])

Quo ex loco necessario efficitur, ut Statius poeta pantomimum, quem modo scripsit, Paridi h. e. ipsi pantomimo vendiderit. Histrio igitur ipse fabulas novas, quas acturus est, solet eligere et emere.

5. Idem probatur Ciceronis loco, qui est in libro „de officiis" I 31, 114: „Suum quisque igitur noscat ingenium acremque se et bonorum et vitiorum suorum iudicem praebeat, ne scaenici plus quam nos videantur habere prudentiae. Illi enim non optumas, sed sibi accommodatissumas fabulas eligunt. . . . Ergo histrio hoc videbit in scaena, non videbit vir sapiens in vita?"

6. Denique memorandum est Crinagorae epigramma (Anthol. Pal. IX 542)[28]):

---

[24]) cf. Marquardt: Roem. Staatsverw.[2] III (1885) p. 539 et Hauler: Phorm. ed.[3] p. 32 sq.

[25]) Ita Ritschelius in Parerg. p. 333 sqq. — Fabia l. s. s. p. 145 sqq. — Klebsius (ap. Pauly-Wissowam I p. 1804 s. v. ‚Ambivius').

[26]) cf. Havet: rev. de phil. X (1886) p. 15.

[27]) „intacta Agaue" significat fabulam nondum editam aut actam vel, ut scholiasta ad h. l. adnotat, „cantionem inauditam". Idem igitur est atque „integram comoediam" in Heaut. prol. v. 4; cf. Statii Silv. I 2, 238 et III 1, 67. — Friedländer ad Iuvenalis, Vollmer ad priorem Statii locum.

[28]) cf. Rubensohni ed. Crinag. epigr. (Berol. 1888) p. 94 n. 40.

„*Θάρσει καὶ τέτταρσι διαπλασθέντα προσώποις*
μῦθον καὶ τούτων γράψαι ἔτι πλέοσιν·
Οὔτε σὲ γὰρ λείψουσι, Φιλωνίδη, οὔτε Βάθυλλον,
τὸν μὲν ἀοιδάων, τὸν δὲ χερῶν χάριτες“.

Hos versus in adnotationibus, quae sunt in ed. Didot. (vol. II p. 225) Duebnerus recte explicat ita: „Crinagoras hortatur Philonidem ut mimum scribat quattuor vel plurium adeo personarum, et scribat confidenter: nam ipsum et Bathyllum ei agendo pares esse ut qui maxime. Manifesto Philonides, aliunde ignotus, erat cantor idem[29]) et *μιμογράφος* aut *μιμοποιός*. Notum est Bathyllum comica . . . saltatione . . . excelluisse“.

Philonidem igitur mimographum ad usum Bathylli mimos composuisse inde apparet.[30])

Ex his locis satis elucet poetas actoribus ipsis fabulas et scripsisse et vendidisse; neque hac de re omnino dubitari potest. Deinde apparet actores fabulas, quas a poetis suo pretio emerant, aedilibus obtulisse simulque suam gregisque operam locasse. Ludorum autem curatores, aediles aut [ab anno 732 a. u. (= 22 a. Chr.)] praetores,[31]) cum suo sumptu ludos quam praeclarissime ornarent suisque impensis gregem, actorem, choragum,[32]) multa alia conducerent, fabulas quoque emisse apparet et nonnullis locis legitur. Huc spectant hi loci: Eun. prol. v. 19 sq.:

„quam nunc acturi sumus
Menandri Eunuchum, postquam aediles emerunt“ sq.

Eodem modo dicit Ovidius in Trist. II 507 sq.:

„quodque minus prodest, scaena est lucrosa poetae,
Tantaque non parvo crimina praetor emit.“

et v. 509 sq.: „Inspice ludorum sumptus, Auguste, tuorum:
Empta tibi magno talia multa leges“.

Exstant autem loci, quibus poeta de fabulis novis vendendis ipsis cum aedilibus egisse videtur.

---

[29]) Philonidem cantorem eundem et *μιμογράφον* fuisse suo iure negat Rubensohn ad h. l., qui has fabulas a choro cantatas esse Grysarium secutus (Mus. Rhen. 1834 p. 30 sqq.) contendit. Eis autem in verbis, quae ad nostram quaestionem spectant, interpretandis cum Duebnero consentit.

[30]) Simile aliquid traditur in vita Soph. (cf. Jahn-Michaelis: ed. Electrae[3] 1882 Bonn. p. 6 v. 33): *φησὶ δὲ καὶ Ἴστρος αὐτὸν* (i. e. *Σοφοκλέα*) . . . . *πρὸς τὰς φύσεις αὐτῶν* (i. e. *ὑποκριτῶν*) *γράψαι τὰ δράματα*, id quod maxime convenit cum schol. Aristoph. nub. 1266 et ran. 791 (cf. Jahn-Michaelis l. s. s.).

[31]) cf. Mommsen: Röm. Staatsrecht[3] II 1, p. 237 (n. 1) et p. 522.

[32]) Plauti Pers. v. 159 sq.:

„*Πόθεν* ornamenta? — Abs chorago sumito.
Dare debet: praebenda aediles locaverunt.“

— cf. Hauler: Phorm. ed. p. 34 adn. 2.

1. In Ter. vita Suet. leguntur haec (p. 28 Reiff.): „Scripsit (scil. Terentius) comoedias sex. ex quibus primam Andriam cum aedilibus daret", sq. Sed de tota hac fabula, quam de Caecilio et Terentio Suetonius hoc loco narrat, suo iure nunc viri docti dubitant.[33])

2. At legitur et apud Suetonium[34]) et apud Donatum[35]) Eunuchum fabulam meruisse octo milia nummum, quae poetam, non dominum gregis accepisse consentaneum est. Tamen cum Eunuchi duplex actio singulare quoddam fuisse videatur,[36]) hos locos ne nimis premamus, cavendum est. Praeterea nihil obstat, quominus aediles etsi fabulam a domino gregis, non ab ipso poeta emerant, tamen poetae illud pretium sua sponte praebuisse censeamus.

3. Eodem spectat didascalia, quae de L. Varii Thyeste in cod. Paris. 7530 s. VIII servatur (Suet. rell. ed. Reiff. p. 48 ad col. 41): „Lucius Varius cognomento Rufus Thyesten tragoediam magna cura absolutam post Actiacam victoriam Augusti (corr. Th. Mommsen; ‚aug . . .' cod.; ‚augusto' man. rec.) ludis eius in scaenam dedit, pro qua fabula sestertium deciens accepit".

4. Deinde provocari potest ad Horati sat. I 10, 36 sqq.:
„Turgidus Alpinus iugulat dum Memnona dumque
Defingit Rheni luteum caput, haec ego ludo,
Quae neque in aede sonent certantia iudice Tarpa,
Nec redeant iterum atque iterum spectanda theatris."
Huc pertinet hoc schol. Cruqu. (Cruquii ed. Hor. op. Antverp. 1579 p. 399): „Metius Tarpa fuit iudex criticus, auditor assiduus poematum et poetarum in aede Apollinis seu Musarum, quo convenire poetae solebant suaque scripta recitare, quae nisi a Tarpa aut alio critico, qui numero erant quinque, probarentur, in scaenam non deferebantur." Unde Oehmichen l. s. s. efficit Ciceronis aetate fabulas novas ab ipso ludorum curatore, non iam a domino gregis examinatas, electas, pretio emptas

---

[33]) cf. Hauler: Phorm. ed.[3] p. 15 (impr. adn. 3 et 4.).

[34]) Suetonius (p. 29 Reiff.) narrat haec: „Eunuchus quidem bis die (quam lectionem traditam cum Vahleno [libell. univers. Berol. 1883/4 p. 4] contra Ritschelium servandam esse arbitror) acta est meruitque pretium quantum nulla antea cuiusquam comoedia, octo milia nummum".

[35]) Donatus in auctario (p. 35 l. 10 Reiff.) et in Eun. praef. (p. 10 l. 11 sqq. R.), ubi legitur hoc: „et acta est tanto successu, plausu atque suffragio, ut rursus esset vendita et ageretur iterum pro nova proque ea pretium, quod nulli ante ipsam fabulae contigit, octo millibus sestertium numerarent poetae." cf. infra p. 83 adn. 56 et p. 84.

[36]) cf. Ritscheli Parerg. p. 332 n. 2. — Dziatzko: Mus. Rhen. nov. XXI p. 473. — Hauler: l. s. s. praef. p. 20 n. 3 et append. crit. p. 193 (ad v. 16).

esse. Hoc si ita est, sequitur, ut poetae ipsi, non per dominum gregis, ludorum curatoribus fabulas suas obtulerint. Sed hanc sententiam falsam esse iam Kirchnerus[87]) demonstravit. Neque enim ex Horati verbis apertum fieri poetam de fabulis recitandis, quae recitatione probatae ad actionem scaenicam destinarentur, cogitavisse, immo ipsis particulis disiunctivis „nec-nec" hoc vetari. Sermonem igitur esse minime de fabulis scaenicis, sed de aliis poematum generibus, quae poemata poetae quidam recitarent, ut quid Tarpa iudicaret, comperirent. Quamobrem scholion Cruquianum, quippe quod ipsis Horati verbis repugnet, patet esse reiciendum.

Neque multo aliter est iudicandum de alio loco, quo de Tarpa litterarum iudice verba fiunt. Refert enim Cicero epist. ad fam. VII 1 de ludis, quos Pompeius theatrum suum consecraturus anno a. u. c. 699 edidit, haec: „nobis autem erant ea perpetienda, quae Sp. Maecius probaverat". Sed primum solis de ludis Pompeii sermo est. Deinde ne ex hac quidem re, quod Tarpa fabulas examinavit, efficitur poetas ipsos Tarpae fabulas suas obtulisse. Etenim illa quoque aetate nihilo minus fieri potuit, ut dominus gregis fabulas a poetis emeret, quos tum, cum ludi Pompeiani instabant, ludorum obtulit curatori aut ei, cui hic fabulas eligendas concesserat.

4. Denique ad hanc, quam falsam esse censeo, sententiam accedere possit, qui rerum Graecarum scaenicarum rationem habere voluerit. Apud Graecos enim poetae ipsi fabulas, quas in theatro agi cupiunt, ad archontes, ludorum curatores, deferunt. Qui traditas legunt et examinant, eligunt dignas, quae agantur, et poetis choregos sorte creatos tribuunt.[88]) Quam rem apud Romanos similem fuisse cum ne unus quidem Romanorum scriptor vetus tradat, ne ex hac quidem re quicquam colligendum est.

Nullo igitur, ut comprehendam, loco necessario efficitur, ut poeta ipsis cum ludorum curatoribus contractum de fabulis vendendis fecerit. Quare intercesseritne omnino negotium aliquod inter poetam et aediles necne, difficillimum est diiudicare. Contra ex multis locis didicimus poetam cum domino gregis negotiis coniunctum fuisse. Hoc igitur pro certissimo habendum est eam rationem, de qua permultis locis memoriae traditur, si non semper, attamen plerumque usu venisse. Huc accedit, quod aediles cum ipsis poetis de fabulis emendis vendendis egisse ne

[87]) v. Kirchneri ed. Hor. serm. II 1 p. 353 sqq. (Lips. 1854/57).

[88]) Oehmichen l. s. s. § 19 et § 22. — A. Müller: „K. F. Hermanns griech. Antiquitäten" III 2 p. 330 sqq. et p. 350 sq.

verisimile quidem est. Ditissimus enim quisque aedilis creabatur. Idem magnane eruditione atque doctrina praeditus esset, certe non quaerebatur. Praeterea apparet aediles, si omnino cum poetis egerunt, a poetis novis planeque ignotis fabulas emere caute veritos esse, cum populone eorum fabulae placiturae essent, nimis dubium esset. Veteres autem poetas, qui populi animum multis et bonis fabulis delectaverant et saepe cum domino gregis egerant, per hunc semper fabulas novas aedilibus obtulisse et per se verisimile est et Caecili et Terenti exemplis confirmatur, quorum uterque fabulas novas semper L. Ambivio Turpioni[39]) agendas tradidit.

Quibus expositis intelleximus poetam fabulas novas vendendas ad dominum gregis quendam detulisse, non ad ipsos ludorum curatores. Dominus autem gregis fabulam pretio suo atque suo periculo emit eamque ludis instantibus aedilibus una cum sua gregisque opera locare studet. Dominus igitur gregis, id quod cum eius auctoritate (cf. supra p. 72) maxime convenit, intercessoris munere fungitur, qui suo periculo aliquas res emit, ex quibus lucrum faciat.

Huiusmodi negotia, ad quae factitanda Romani maxime proclives essent, omnibus temporibus Romae usitatissima erant in vita et publica et privata.[40]) Cuius consuetudinis pauca afferam exempla.

Atque primum quidem in Romanorum vita publica eiusmodi negotia persaepe occurrunt. Omnia enim tributa, vectigalia ut per totam antiquitatem, ita apud Romanos, non per eos, quibus salarium dabatur, exigebantur, sed haec omnia redemptoribus[41]) exigenda tradebantur. Qui quoniam cum re publica per censores contractus faciebant, publicani appellabantur. His contractibus publicani se certam pecuniae summam censoribus soluturos esse promittebant, quo pacto tributa eis exigenda tradebantur.[42]) Neque aliter templa aedificanda, aquae ductae viaeque struendae, aedificia publica restituenda, pontes cloacaeque exstruendae, omnia publice aedificanda et ornanda publicanis locabantur, qui certo pretio constituto illa opera conficienda curabant, quam rem quaestui habebant.[43])

---

[39]) Hoc apparet ex Hec. prol. II et ex didascaliis Terentianis.

[40]) Marquardt-Mau: „Das Privatleben der Römer"[2] p. 399 sq. (Marquardt-Mommsen: antiqu. Rom.[2] VII 2.)

[41]) v. „redemptor" ap. Festum (C. O. Mülleri ed. 1880. Lips. p. 270). — CIL VI 1 p. 154 n. 877b. cf. quomodo Th. Mommsen huius fragmenti v. 13 sq. suppleverit; praeterea cf. idem: Eph. ep. VIII (1899) p. 245.

[42]) cf. Marquardt: Röm. Staatsverw.[2] II p. 299 sq.

[43]) cf. Marquardt: „Privatleben der Römer"[2] p. 399 sq.

Neque vero minus haec negotia inter privatos florebant: domus struendae, messes exigendae, aliae res ab aliis conducebantur (Marquardt l. l.). Persaepe, id quod ad nostram quaestionem spectat, de rebus vendendis iterum vendendis agitur, veluti frumentarii frumentum in provinciis coemebant et Romae venditabant,[44]) multi alii.

Ubique igitur in vita et publica et privata eiusmodi negotia Romae maxime floruisse videmus. Hac quoque re ea sententia, quam de domini gregis condicione habemus, valde confirmatur, ita ut id, quod de domino gregis statuimus, ceterorum contractuum ratione habita non modo credi posse, sed etiam ad maximam verisimilitudinem accedere cognoscamus.

Nunc venimus ad alteram quaestionem, qua quaeritur:

Cuiusnam fabulae actae fuerint.

Quam diiudicare non possumus nisi prius, quibus condicionibus poeta domino gregis fabulas vendiderit, intellexerimus.

Hac in re veterum testimonia nos prorsus deficiunt. Quo magis necesse est hac de re universe et generatim agamus, priusquam ex singulis locis quid disci possit de condicionibus horum contractuum, inquiramus. Poetae venditabant fabulas[45]) domino gregis, qui eas ab illo emit. Hic cum sit contractus, quem Romani appellant emptionem venditionem, in quem certae leges formulaeque cadant, haec quaestio est non solum philologorum, sed etiam iuris peritorum. Sed nullus de fabulis emendis vendendis contractus cum exstet, praeceptis et inscriptionibus, quas de aliis rebus emendis vendendis habemus, nitendum est.

1. Fabulae quominus in rebus, quae emi venire possunt, habeantur, nil obstat. Etenim omnes res emi venire possunt.[46])

2. Deinde videndum est, quosnam auctores de iure emptionis venditionis ad secundum a. Chr. saeculum pertinentes habeamus. In quibus magni sunt momenti ea, quae hac de re ex Plauti, Catonis, Varronis, Ciceronis libris comperimus. Deinde haurimus ex posteris iuris civilis praeceptis, veluti ex Gai in-

---

[44]) cf. Marquardt l. s. s. p. 423/4.

[45]) praeter eos, quos supra memoravimus, locos huc spectant hi loci: Suet. ‚de poetis‘ (p. 36 Reiff.): „Pacuuius . . . fabulas venditavit“; idem (p. 24 Reiff.): „Plautus . . . scribere fabulas solitus ac vendere“. cf. Hieronymum ad Eusebi chron. 1817 (=554 a. u.) [Ol. 145, 1].

[46]) cf. Dig. XVIII 1, 34 § 1: „omnium rerum, quas quis habere vel possidere vel persequi potest, venditio recte fit“. Hac de re cf. Windscheid: „Lehrbuch des Pandektenrechts.“ [8] II (1900) p. 585 et Dernburg: „Pandekten“ [6] II (1900) § 94.

stitutionibus editis secundo saeculo p. Chr. n. et ex ipso corpore iuris civilis, quod etsi Iustiniani aetate conscriptum est, tamen non novas leges, sed omnes leges ad illud tempus vigentes continet. Priorum autem iurisconsultorum singulis de rebus iudicia plerumque ad verbum afferuntur, ita ut quid illi his de rebus senserint, veluti, M. Antistius Labeo, qui aetate Augustea floruit, accurate sciamus. Quare quomodo leges atque iurisconsultorum opiniones aetate imperatorum paullatim mutatae sint, cum cognoscamus, quomodo res aetate rei publicae liberae fuerint, persaepe inde colligere possumus.

3. Deinde inquirendum est, quibus condicionibus perfectis contractus qui appellatur emptio venditio perfectus sit. Posterioribus temporibus nulla re opus erat nisi consensu contrahentium.[47])

Contra Varro tradit sua aetate emptionem venditionem tum demum perfectam fuisse, cum venditor emptori rem venditam tradiderat.[48]) Tamen hac quoque forma postulatur, ut contrahentes et de re emenda vendenda et de pretio consenserint, quod aut statim ab emptore solvitur aut certis nominibus creditur.

4. Tum fuerintne certae regulae, et quaenam fuerint, videamus. Sane fuerunt certae formulae, quae omnibus his in contractibus occurrunt.[49]) Quae cum ad servos, domos, puellas,

---

[47]) Gai. III 135: „Consensu fiunt obligationes in emptionibus venditionibus, locationibus conductionibus, societatibus, mandatis.“ et 136: „Ideo autem istis modis consensu dicimus obligationes contrahi, quia neque verborum neque scripturae ulla proprietas desideratur, sed sufficit eos, qui negotium gerunt, consensisse“. Idem legitur Inst. III 23,1 et Dig. XVIII 1 l. 9 pr.

[48]) Varro de re rust. II 2 § 6 „emptor stipulatur prisca formula sic: „. . . . . haec sic recte fieri spondesne?“ cum id factum est, tamen grex dominum non mutavit, nisi si est adnumeratum. nec non emptor pote ex empto vendito illum damnare, si non tradet, quamvis non solverit nummos, ut ille emptorem simili iudicio, si non reddit pretium.“ Hac de re cf. imprimis Pernice: „M. Antistius Labeo; Das Röm. Privatrecht im 1. Jahrh. d. Kaiserz. I (Halle 1873) p. 454/466.

[49]) cf. Cato de agri cult. 144, 2 et 145, 2. 3. — Verbi causa una formula in omnibus fere emptionibus occurrit. Varro de re rust. II 10, 5: „In horum (sc. servorum) emptione solet accedere peculium aut excipi et stipulatio intercedere: „sanum esse, furtis noxisque solutum“ etc. Eadem formula invenitur in inscriptt. s. II p. Chr., velut CIL III 2 p. 940/1 (= Bruns: fontes iuris Rom. ant. [6] 1893 p. 288 sq.): „Eum puerum sanum traditum esse, furtis noxaque solutum“ etc. Idem CIL III 2 p. 937, 959 (= Bruns [6] p. 289 n. 106 et p. 290 n. 107). Formulam stipulationis priscam esse dicit iam Varro (cf. r. r. II 2, 5 sq. et II 4, 5). — cf. Pernice l. s. s. I p. 455 n. 7.

boves, oves, alias res emendas vendendas spectent, ex eis nihil proficimus. Contra cognoscimus, etsi certae formulae exstant, tamen in singulis contractibus plane diversas res promitti et statui. Huius rei ut exemplo utar, legimus apud Varronem (r. r. II 10, 5), si res empta vendita evicta sit, duplex pretium a venditore solvendum esse. Idem statuitur in inscriptione secundi p. Chr. saeculi (CIL III 2 p. 940 sq. = Bruns [6] p. 288 sq. II, 1). Contra in aliis eiusdem aetatis inscriptionibus constituitur simplex tantum pretium rei evictae reddendum esse (CIL III 2 p. 937, 944, 959 = Bruns [6] p. 289/91). In universum igitur est dicendum, etsi certae formulae inveterascebant, tamen res diversissimas statui potuisse, dummodo contrahentes inter se consenserint. Quamobrem ne duo quidem contractus ad emptionem venditionem pertinentes omnibus in singulis rebus congruunt.[50]).

His expositis, ut ad rem propositam redeamus, id unum pro certissimo habendum est verisimillimum esse contractus quoque, qui ad fabulas emendas vendendas spectabant, non semper pares fuisse.[51]) Qua re cognita nos non, ut viri docti adhuc fecerunt, eos locos, ex quibus de condicionibus fabularum emendarum aliquid lucrari possumus, ita interpretabimur, ut semper unam eandemque rationem asservatam esse demonstrare studeamus, quod ita fuisse ut demonstraret, nemini adhuc viro docto contigit, cum loci inter se plane diversi sint. Immo vero, ipsi ei loci, qui ceteris repugnare videntur, summi sunt momenti, cum ex eis efficiatur, ut emptio venditio fabularum variis condicionibus facta sit. Hae quaenam fuerint singulis in emptionibus, cum veterum testimoniis paene prorsus destituti simus, dubium est semperque manebit. Nonnulla autem haud scio an ad verisimilitudinem quandam perducere possimus.

I. Ex Hec. prol. II v. 48 sq.: „Mihi ut discere
Novas expediat posthac pretio emptas meo.“

---

[50]) Emptiones non semper simili modo perfectas esse Varro r. r. II 1, 15 dicit; — cf. id. II 2, 5: „In emptionibus (ovium) iure utimur eo, quo lex praescripsit. In ea enim alii plura, alii pauciora excipiunt.“ II 5, 11 dicit, quomodo boves et domiti et indomiti emantur quibusque formulis utendum sit; addit autem haec: „Paulo verbosius haec, qui Mamili actiones sequuntur lanii.“ sq.

[51]) Aliis quoque in contractibus maxima fuit varietas apud Romanos. Pendebant pueri, ut exemplum afferam, Romae litteratoribus mercedem aut menstruam (testimonia apud Marquardt-Mommsenum l. s. s. [2] VII p. 94 n. 3 et 4) aut annuam (cf. ibid. p. 95 n. 1, 2, 3) aut omnino nihil de mercede antea conveniebat, ita ut parentes, quantum vellent, litteratori darent [ibid. p. 95 n. 4].

discimus Ambivium aliquam copiam fabularum novarum pretio statim soluto emisse, quas posthac agere ut sibi liceat, spectatores rogat. Idem apparet ex Horati epist. II 1, 175 sq.:

„Gestit enim (scil. Plautus) nummum in loculos demittere, post hoc
Securus cadat an recto stet fabula talo“.

Dominus igitur gregis cum poeta contractum fecit, quo probato ille pretio plerumque statim soluto fabulam accepit, hic fabulae fata non iam curabat.[52]) Periculum ergo suscepit solus actor. Quodsi quaeris, quomodo dominus gregis talem contractum inire potuerit, respondeam sperare eum ex fabula lucrum se facturum esse, id quod ei contigit, si fabula ab aedilibus emebatur. Sed etiam si actor ex prima actione parvum lucrum fecerat, tamen ex fabula iterata damnum facile sarcire poterat (cf. supra p. 72 sq.). Praeterea per se apparet actorem rerum scaenicarum peritum eas solas fabulas emisse, quas placituras esse confidebat, sed veritum esse fabulas a poetis novis et plane ignotis emere.

1. Tali contractu veluti Plautum fabulas vendere solitum esse Horati fuisse sententiam ex epistol. l. s. s. manifestum est.

2. Tali contractu Ambivius adulescens fabulas Caecili emisse videtur. Primum enim fabulae, tametsi cum primum agerentur, non placuerunt, ab Ambivio iterum iterumque agebantur, donec starent. Deinde Ambivi, non Caecili opera effectum esse legimus Hec. prol. II v. 6 sqq., ut fabulae iterarentur. Quibus ex rebus efficitur, ut domini gregis interfuerit fabulas Caecili et agi in scaena et stare.

3. Eodem modo denique idem Adelphos a Terentio, cuius Eunuchus populo maxime placuerat, emisse videtur. Ludis enim Aemili Paulli funebribus duae fabulae Terentianae Ambivio actore in scaenam prodierunt: Hecyra iam semel exacta et Adelphi fabula nova. Qua in re quo modo fieri potuerit, viri docti quaesiverunt, ut novem tantum dierum spatio histriones simul duas fabulas plane novas ediscerent.[53]) At mea quidem sententia res ita explicatur, ut Ambivium statuamus Adelphos

---

[52]) Tamen semper eius, qui fabulam composuerat, nomen ante singulas actiones pronuntiabatur. Neque igitur haec est eadem res atque apud poetas Graecorum scaenicos, qui interdum fabulas simul cum auctoris, ut ita dicam, iure vendiderunt; cf. E. Rohde: Kl. Schr. II p. 426 n. 1 et Alb. Müller l. s. s. p. 357.

[53]) Wilmanns l. s. s. p. 49 sq. — Wagner in annal. phil. nov. XIC (1865) p. 290. — Dziatzko in Mus. Rh. n. XXI (1866) p. 79. — Paeckelmann l. s. s. p. 28 sq. — Schindler l. s. s. p. 31. — Fabia l. s. s. p. 49 n. 1. — Verum suspicati sunt Bosse l. l. p. 13 et Karsten l. l. p. 209 sq.

iam antea a Terentio emisse gregemque docuisse et exspectasse ludos aliquos scaenicos, quibus fabulam novam agere sibi liceret. Hecyram autem, quam quinque annis ante cum grege suo egerat, denuo ediscere certe non difficile erat.

II. Contra Terentium Hecyram alio pacto vendidisse ex ipsius poetae verbis apparet (prol. I v. 6 sq.):

„Et is qui scripsit hanc ob eam rem noluit
Iterum referre, ut iterum posset vendere“.

In poetae igitur potestate fuit, utrum fabulam iteraret an retineret. Quibus condicionibus poeta hunc contractum cum Ambivio fecerit, nescimus. Complures autem modi usurpari potuerunt:

1. Primum cogitari potest rem ita se habuisse, ut actor nihil a poeta emeret nisi ius primae actionis. Quod si verum est, duobus modis cogitari potest rem actam fuisse inter dominum gregis et poetam: primum actorem certum pretium antea constitutum aut statim aut post primam actionem solvisse, id quod meo quidem iudicio omni probabilitate caret. Etenim hoc pacto actor fabulam emit, ex qua essetne facturus lucrum, maxime erat dubium. Accidere enim poterat, ut haec fabula ab aedilibus aut omnino repudiaretur, ita ut actor fabulam suo periculo suisque impensis agere cogeretur, qua in re facile fieri poterat, ut damnum acciperet, aut licet fuerit empta, tamen si fabula aedilibus non magnopere placebat ideoque parvo tantum pretio digna habebatur, paene nullum lucrum actori afferet. Neque vero dominus gregis, cum fabulam iterare ei non liceret, illud damnum reficere poterat.

Deinde potuit convenire inter poetam et dominum gregis, ut poeta et certum, quamvis parvum, pretium et aliquam partem eius lucri, quod actor capturus esset, acciperet.[54]) Actor igitur non magnum periculum susceperat, cum parvum pretium solvisset; poeta autem contentus erat et illo parvo pretio et quod fabulam omnino vendiderat.

2) Sed alia quoque ratione contractus potuit iniri. Poeta enim fabulam suam actori vendendam tradidit ea condicione, ut actor aut fabulam aedilibus venderet et doceret aut, si hoc non contingeret, poetae redderet. Fabula igitur ab actore aestimabatur, et hoc pretium aut totum aut ex parte certis

[54]) Etenim iure civili pretium certum esse debebat, etsi numeris non constitutum erat. cf. Dig. XVIII 1 l. 7 § 1. — Neque minus contractus valebat, si pretium si non totum, attamen ex parte certum erat; cf. Dig. XVIII 1 l. 7 § 2. — cf. Windscheid l. s. s. [8]II p. 588/591 (§ 386) et Dernburg[6] II p. 258.

numeris constitutum poetae ab actore aut solvendum erat aut fabula reddenda.[55]) Hoc pacto utriusque intererat fabulam agere, periculum autem neuter susceperat. Poterat praeterea poeta actori, si hic fabulam venderet, etiam mercedem promittere.

Tales contractus actorem cum poetis novis fecisse verisimile est. Qui ad tales condiciones accesserunt, cum id solum spectarent, ut ipsorum fabulae agerentur ipsique noti fierent. Hac ratione Terentius quoque in fabulis vendendis usus esse videtur.

At ex his fabulis, quae semel actae in poetae possessionem redierunt, quidnam factum sit, quaerimus. Si fabula, quam actor a poeta novo aut ad primam solam actionem emerat aut vendendam curaverat, placuerat, fieri sane poterat, ut actor certo pretio penso fabulae iterandae ius a poeta emeret.[56]) At quemnam fabulas abiectas emisse putas? At fabula non si semel exacta erat, idcirco semper displicuerit necesse est. Fabulae enim Caecilianae Ambivius fecit ut inveterascerent. Ex fabulis exactis quoque lucrum fieri potuisse inde conclusimus (cf. supra p. 72 sq.). Praeterea poeta actori, si hic fabulam ageret, mercedem promittere poterat.

Neque vero licet Hecyram Terentianam afferre. Videmus enim Terentium quinque demum annis post primam Hecyrae actionem fabulam iterum vendidisse. Quod anno 160 a. Chr. solam ob eam rem factum esse videtur, quod ludorum funebrium curatores Terenti amici erant,[57]) qui comitate inducti hanc fabu-

---

[55]) v. Dig. XIX 3: „de aestimatoria". — cf. Windscheid [8] II § 383 et Dernburg [6] II § 120. — Hic contractus nostro iure appellatur „Trödelvertrag".

[56]) Contra nihil valere mihi videtur Donati testimonium, quod est in Eun. praef. (p. 10 l. 11 R.): „Et acta est (scil. Eunuchus) tanto successu, plausu atque suffragio, ut rursus esset vendita et ageretur iterum pro nova proque ea pretium, quod nulli ante ipsam fabulae contigit, octo millibus sestertium numerarent poetae." Primum enim haec explicatio ipsa maxime dubia est, cum illud pretium, quod aediles poetae dedisse Donatus narrat, antea non constitutum, sed ab illis ultro solutum esse cogitari possit (cf. Ritschl: Parerg. p. 332 n. 2. — cf. infra p. 84). Deinde cum illae duae Eunuchi actiones nullo spatio intermisso fierent, ne ob eam quidem rem de altera venditione cogitari potest. Denique unde Donatus vel is, qui praefationes scripsit, hauserit, etiam id apparere puto. Suetonius enim in Ter. vit. narrat haec (p. 29, 8 Reiff.): „Eunuchus quidem bis die acta est meruitque pretium quantum nulla antea cuiusquam comoedia, octo milia nummum;" et ipse Donatus in Auctario solum haec dicit (p. 35, 10 Reiff.): „ex quibus magno successu et pretio stetit Eunuchus fabula." Certe igitur Donatus nullum alium testem habuit nisi Suetonium et verba „ut rursus esset vendita" de suo addidit, id quod iam Dziatzko (Mus. Rhen. nov. XXI [1866] p. 473) suspicabatur.

[57]) cf. Hauler l. s. s. praef. p. 14 sq.

lam per Ambivium oblatam emerunt. Neque vero quicquam hac re probatur. Terentius enim Hecyram iterum referre (h. e. pro vetere agere) ipse noluit, ut iterum posset vendere pro nova. (cf. supra p. 38 adn. 88).

III. Denique contractus quidam ab illis prioribus prorsus diversus fieri potuit atque is magna, ut mihi videtur, cum verisimilitudine. Cum enim et poeta et dominus gregis operam suam in ludos scaenicos locaret, quo in studio alter altero indigeret, verisimillimum esse puto eos persaepe contractum societatis effecisse. Non igitur emebat actor fabulam a poeta, sed poeta dabat fabulam, actor gregi suo agendam curabat. Lucrum autem, quod ex fabula acta iterataque capiebatur, eorum commune erat.[58]) Hoc pacto, ut exemplum afferam, inter Q. Roscium comoedum et C. Fannium Chaeream convenerat, ut quaestus, quem Panurgus huius servus, quem ille arte histrionica erudiverat, facturus esset, communis esset.[59])

Ita si inter Caecilium et Ambivium convenisse putamus, facile explicatur, cur et Ambivius fabulas Caecilianas exactas iterandas curaverit, et quomodo dicere potuerit (Hec. prol. II v. 10 sq.): „ut ab eodem alias discerem novas".

Deinde explicatur Terentium poetam iure suo Hecyram referri vetuisse; etenim consensu sociorum opus erat.[60]) Simul et intellegitur Ambivium Hecyram iterandam postea curavisse.

Hoc modo etiam illud pretium, quod Eunuchus meruit, octo milia nummum fuisse nescio an facillime explicetur. Nam quod praefationis Eunuchi scriptor ait pretium numeratum esse poetae, nihil valere ex eis, quae supra (p. 83 adn. 56) exposui, satis elucet.

---

[58]) In singulis rebus hic quoque contractus maxime varius erat; affero hos locos:

a) Dig. XVII 2, 1 pr.: „Paulus libro 32 ad edictum: Societas coiri potest vel in perpetuum, id est dum vivunt, vel ad tempus vel ex tempore vel sub condicione".

b) Dig. XVII 2 l. 5 pr.: „Ulpianus libro 31 ad edictum: Societates contrahuntur sive universorum bonorum sive negotiationis alicuius sive vectigalis sive etiam rei unius".

c) Dig. XVII 2 l. 29 pr.: „Ulpianus libro 30 ad Sabinum: Si non fuerint partes societati adiectae, aequas eas esse constat. Si vero placuerit, ut quis duas partes vel tres habeat, alius unam, an valeat? placet valere, si modo aliquid plus contulit societati vel pecuniae vel operae vel cuiuscumque alterius rei causa."

[59]) Huius simile exemplum affertur in Dig. XVII 2 l. 71 pr.: „Idem (scil. Paulus) libro tertio epitomarum Alfeni digestorum: Duo societatem coierunt, ut grammaticam docerent et quod ex eo artificio quaestus fecissent, commune eorum esset".

[60]) Gai. III 135 (cf. supra p. 79 adn. 47). — Inst. III 22 pr. — al.

Denique hac ratione illud quoque explicari potest fieri potuisse, ut Adelphi fabula nova ludis funebribus, qui novem tantum diebus post mortem L. Aemili Paulli facti sunt, ageretur.

Has igitur res diversis modis explanari posse videmus. Tamen quibus condicionibus poeta singulas fabulas domino gregis agendas tradiderit, cum diiudicare non possimus, hic consistamus. Haec igitur statuimus.

I. Pro certissimo habendum est:

1. Et poetae cum domino gregis, non cum ludorum curatoribus, de fabulis agendis convenisse.

2. Et contractus, quos hi huius rei causa fecerunt, et multos et varios fuisse.

3. Et dominum gregis interdum fabulas novas pretio suo a poeta emptas habuisse, quas agere semper erat paratus.

II. Contra ceteri contractus inter poetam et dominum gregis initi, quales fuerint, cum veterum testimoniis careamus, diiudicare non possumus.

Tabula argumenti.

Natus sum Walther Georg Friedrich Meyer Lipsiae anni 1878 die XXVI. mensis Jan. Friderico patre, quem mihi abhinc multos annos praematura morte ereptum esse gravissime doleo, matre Wilhelmine e gente Martens, quam vivam adhuc pio gratoque animo veneror. Fidem profiteor evangelicam. Litterarum primordiis imbutus scholam Thomanam, quae Aemilio Jungmanno rectore floret, per novem annos frequentavi.

Vere anni 1898 maturitatis testimonio instructus numero civium almae matris Lipsiensis adscriptus sum et studiis philologicis operam navavi. Docuerunt me viri illustrissimi Brugmann, Gardthausen, Hauck, Heinze, Hofmann, Holz, Immisch, Jungmann, Lipsius, Marx, Sievers, Studniczka, Wachsmuth, Wundt.

Praeterea sodalis fui proseminarii Regii philologici Immischii auspiciis per duo semestria, per unum senior. Inde tirocinio artis philologicae perfunctus in seminarium Regium receptus sum et exercitationibus interfui sodalis ordinarius per tria semestria, per tertium senior, regentibus Lipsio, Marxio, Wachsmuthio. Proseminarii theodisci per sex menses sodalis fui de Bahdero moderante.

Benigne mihi aditum aperuerunt Cichorius ad societatem historicam per tria semestria, Lipsius ad societatem Graecam per unum, Studniczka ad exercitationes archaeologicas per unum.

Quibus viris humanissimis omnibus gratiam habeo quam maximam, imprimis autem Immischio, cuius tres per annos famulus eram quique studiorum meorum benevolentissimus exstitit fautor, quantum debeam, gratissimo animo semper profitebor.